

ISTITUTO INTERNAZIONALE DI STORIA ECONOMICA

"F. DATINI"

Serie oro. Testi antichi in anastatica su CD-rom

26

# DISQUISITIO METHODI CONSIGNANDI ANNOS ÆRÆ CHRISTIANÆ

A D J I C I T U R

Dissertatio Monetæ Barcinonensis, ac etiam Romanæ, & modernæ, quarum valor inter se comparatur.

Opus Criticum compluribus exemplis, & gravium Scriptorum Authoritatibus sussultum; Chronographia, Archiis, Notariis, Causarumque Patronis, & Judicibus perutile

A U T H O R E

ANTONIO CAMPILLO, ET MATHEU PRESBITERO

*Artium Magistro Beneficiato Ecclesiae Parochialis Sancti Jaboci Civitatis  
Barcinonensis, Authoritatibus Apostolica, & Ordinaria Notario Publico,  
& Curiæ Vicariatus Illustrissimi Domini Barcinon.  
Episcopi Scriba*

---

*Superiorum permisso. Barcinone : Ex Officina Caroli Sapera, Anno 1766*

DATI BIBLIOGRAFICI:

**Campillo i Mateu, Antoni [1698-1779]**

Disquisitio methodi consignandi annos aerae Christianae, omissae in ferè omnibus publicis chartis antiquis apud Cathaloniam confectis ante annum 1180. Necnon in priscis litteris apostolicis, francigenisque praeceptis absque notis chronologicis Jesu-Christi expeditis, aepochasque principatum fixas comperiendi ... Exibentur veriores chronologiae regum Francorum à parente Caroli Magni ad usque Philippum II.: catalogus summorum Pontificum ab initio saeculi VIII. usque hodiernum diem; seriesque comitum Barcinonensium & eorum successorum. Pariterque tabella singularis annorum Christi, cum tabellula pro reliquis comperiendis festis mobilibus, kalendarioque antiquo Ecclesiae Barcinon. Adjicitur Dissertatio monetae Barcinonensis, ac etiam Romanae antiquae, & modernae, quarum valor inter se comparatur ... Cum appendice 30. veterum analectorum. Authore Antonio Campillo, et Matheu presbytero ... - Barcinone : ex Officina Caroli Sapera,

1766. - [8], 354, 86, [6] p. ; 4° (21 cm)

Segn.: ¶4 A-2X4 2Y2(-Y2) A-L4 M2. - Note sull'esemplare: Appendice (86, [6] p.) leg. prima della Disquisitio (cfr. Rebiun, ma anche le lettere di guida alla fine dell'indice a c. ¶4v); paginazione e segn. in base alla sequenza corretta.

- Impronta: ena- d-as a,it S.va (3) 1766 (A)

**CAPUT XXXVII**  
**DISSERTATIO DE MONETA BARCINONENSIS**


L'edizione è stata realizzata  
grazie al contributo di:




Fondazione  
Cassa Risparmio  
di Prato

eu  
fit  
do.

CA  
NA



2646





# DISQUISITIO METHODI CONSIGNANDI ANNOS ÆRÆ CHRISTIANÆ, omissæ in ferè omnibus publicis Chartis antiquis apud Ca- thaloniam confectis ante annum 1180.

## N E C N O N

IN PRISCIS LITTERIS APOSTOLICIS, FRANCIGE-  
nisque Præceptis absque notis Chronologicis Jesu-Christi ex-  
peditis, Æpochasque Principatum fixas comperiendi: Ad quod,  
declaratis prius variis modis exordiendi annum, agitur  
de Æra Cæfaris, Indictione, ac Æra Christiana.

## E X I B E N T U R

VERIORES CHRONOLOGIÆ REGUM FRANCORUM  
à Parente Caroli Magni ad usque Philippum II.: Cathalogus Summo-  
rum Pontificum ab initio Sæculi VIII. usque hodiernum diem; Se-  
riesque Comitum Barcinonensium, & eorum Suc-  
cessorum.

## P A R I T E R Q U E.

TABELLA SINGULORUM ANNORUM CHRISTI, CUM ÆRA  
Cæfaris, Indictione, Littera Dominicali, ac Paschate cuilibet anno  
respondentibus, ab exordio Sæculi VIII. usque ad XX. cum Tabel-  
lula pro reliquis comperiendis Festis Mobilibus, Kalenda-  
rioque antiquo Ecclesiæ Barcinonæ.

## A D J I C I T U R.

Dissertatio Monetæ Barcinonensis, ac etiam Romanæ antiquæ, & mo-  
dernæ, quarum valor inter se comparatur.

Opus Criticum compluribus exemplis, & gravium Scriptorum Authori-  
tatis suffultum; Chronographis, Architis, Notariis, Causarumque  
Patronis, & Judicibus perutile.

## C U M APPENDICE 30. VETERUM ANALECTORUM.

## A U T H O R E

ANTONIO CAMPILLO, ET MATHEU PRESBYTERO  
Arium Magistro Beneficiato Ecclesiæ Parochialis Sancti Jacobi Civitatis  
Barcinonensis, Authoritatibus Apostolica, & Ordinaria Notario Pu-  
blico, & Curiae Vicariatus Illustrissimi Domini Barcinon.  
Episcopi Scriba.

## *Index Disquisitionis.*

Mobilibus, stabilito Festo Paschæ in Tabula præcedenti. pagin. 278.

**CAPUT XXXVII.** Exhibetur Kalendarium antiquum Ecclesiæ Barcinonensis. pag. 280.

**GAPUT XXXVIII.** Dissertatio de Moneta Barcinonensi, de que ejus valore. pag. 309.

§. I. Generalia prænotanda. pag. 309.

§. II. De moneta Cuprea, seu de Billd. Agitur de moneta Uneta, de Duplo, de Terno, & de Quaterno. pag. 312.

§. III. Quomodo perpetuata fuit moneta de Terno. pag. 318.

§. IV. De Obolis, sive Malles. pag. 320.

§. V. Quomodo imminutus fuit valor monetæ de Terno. pagin. 321.

§. VI. De moneta aurea, & argentea antiqua. pag. 324.

§. VII. De Mancussis. pag. 330.

§. VIII. De Morabatinis. pag. 332.

§. IX. De Florenis. pag. 336.

§. X. De Macemotinis, seu Marmotinis. pag. 338.

§. XI. De Crucesignatis, vulgo Croats, seu Reals de Plata. pag. 339.

§. XII. De aliis monetis antiquis. pag. 342.

§. XIII. Comparatur Moneta Barcinonensis cum antiquo valore Cibariorum, seu Annonæ. pag. 343.

**CAPUT XXXIX.** Exprimitur valor monetæ Romanæ antiquæ, & modernæ, & equiparatur cum Barcinonensi, & aliis Hispaniæ. pag. 348.

§. I. De monetæ antiquæ Romanæ valore. ibidem.

§. I. De hodierno valore monetæ Romanæ. pag. 351.

*Tabula promptuaria Æpocharum Principatum Regum Francorum.* pag. 353.

## CAPUT XXXVIII.

**DISSERTATIO DE MONETA BARCINONENSI,**  
deque ejus valore.

## P R A E F A T I O.

**C**UM non semel plurimum infudarem pro intelli-  
gentia valoris Denariorum synodalium, qui que  
pro Jure Cathedratici Ecclesiae Civitatis, & Diœcesis Bar-  
cinonensis. Matrici pendere debent, & in diversis Chartis  
Consecrationum sæculis decimo, undecimo & duodecimo  
confectis pro censu persolvendi leguntur ( scilicet majo-  
res Ecclesiae quinquaginta duo, minores verò triginta qua-  
tuor denarii ) ac in pluribus dotalitiis Instrumentis, expri-  
matur Moneta Barcinonensis *de Duplo*, *de Terno*, *de Qua-  
terno*, & in quibusdam quot solidorum esset valor marchæ  
argenti, diversèque referantur monetæ his temporibus  
incognitæ; & propterea prænotassæ plurima; quæ in di-  
versis Chartis habentur; observassæ pariter ea quæ nos-  
trates Scriptores in exponendis patriis Legibus circa mo-  
netæ valorem scripsérē: Ut igitur quæ à me cum ingenti  
labore prænotata, & observata fuerunt Publici utilitati  
deservire queant, operæ pretium duxi, huic Disquisitioni  
annectere; & nonnullis paragraphis dissicare, ut infra vi-  
debitur.

## §. I.

## GENERALIA PRÆNOTANDA.

**S**UPPONENDUM est primo tamquam fundamentum  
quod apud Argentarios, & Monetarios, Bes sive  
Marcha ( vulgò March ) alicujus pertiosi Metalli, jam ab  
antiquissimis, prout etiam hisce temporibus, continere in  
se octo uncias pondericas; quarum quælibet subdividitur  
in sexdecim partes ( vulgò Argens ) quarum quælibet in-  
clu-

cludit pondus 36. granorum tritici, vel hordei, quæ parum inter se differunt pondere. Etenim ex valore Marchæ, seu bessis argenti, aut auri, antiquis, & modernis temporibus, desumendum est nummorum, seu minutorum, vel denariorum valor.

3 Secundò supponendum est libras monetæ Barcinonæ. continentes prout in aliis Regionibus, Viginti solidos monetæ minutæ, vulgo de Billo, seu cupreæ, solido valente duodecim Denarios, fuisse & esse monetam immaginariam, sicuti Ducati auri de Camera Romæ, & forte aliquando viginti solidi monetæ cupreæ libram unam ferream ponderabant, unde nomen suscepere: Attamen sciendum, antiquis temporibus, fuisse libras, uncias, & solidos aureos, & argenteos monetæ prout infra patebit.

4 Tertiò est supponendum in hoc Principatu diversas fuisse admissas monetæ extraneas, & cussas in aliis Comitatibus: Etenim quisque Comes propriam pro suis respectivè dominiis, cudebatur monetam saltim cupream: Unde in antiquis Instrumentis, non tantummodo invenimus monetam Barcinonensem, sed etiam Gerundensem, Vicensem, Melgoriensem, Biterrensem, Narbonensem, & Rusinonensem; quod nè libere existimes dictum, testes adducam.

5 Barcinone jam cudebatur moneta anno 966. ut infra patebit; & anno 1130. Raymundus Berengarius III. concessit Episcopo Barcinonæ. decimam lucri cussæ monetæ; Quam concessionem Reges Successores ejusdem confirmaverè, & constat in primo Chartulario, fol. 191. Archivii Sedis, ac in Archivio Mensæ Episcopalæ, Curiæque Regestis communibus antiquis. Gerundæ etiam cudebatur moneta anno 934.: nam Comes Suniarius concessit Ecclesiæ Gerundensi tertiam partem (existimo lucri) de quacunque moneta Gerundæ, vel ejus Comitatu cuienda, ut patet in Charta de eo anno exscripta in Appendice Marcæ Hispanicæ tit. 71.

6 Etiam Vicus, seu Ausona anno 966. propria utebatur moneta; nam in testamento Seniofredi Comitis Barcinensis de eo anno exscripto in laudata Appendix tit. 104. legitur: Apprehendere faciatis de illis (scilicet Alodes) pesas de-

decem de Denarios AUFONÆ, aut Barcinonæ, vel Gerundæ, & ipsos donare faciatis ad Cœnobium Sancti Petri de Cluniaco &c. Quæ verba etiam ostendunt, denarios Barcinonenses, Vicenses, & Gerundenses, tunc esse paris valoris: Et in Charta Consecrationis Ecclesiæ Sancti Benedicti de Bagiis de anno 972. exscripta in eâdem Appendice tit. 112. post subjectionem illius, Ecclesiæ Romanæ, adjicitur: *Omni anno ex propria moneta publica Aufonenſi solidi triginta deferantur ex argento Apostolicæ Sedi Urbis Quiritiæ: Denarios etenim, seu minutos Vicenses, & Gerundenses non longè dissimiles à Barcinonensibus adhuc nostris comperimus temporibus; quamvis levioris ponderis, & legis, seu valoris intrinseci: Unde Barcinone pro minimo habebantur.*

7 Solidos Melgorienses legimus in nonnullis antiquis Chartis, & nil mirum; quia Castrum, & Comitatus Melgorii in Provincia fuit sub fæudo Comitis Barcinonensis, ut patet ex recognitione ejusdem fæudi, facta per Comitem Melgorii Regi Ildephonso I. anno 1172. in laudatâ Appendix tit. 462. & de ipsis solidis Melgoriensibus fit mentio in eadem Appendix tit. 102. de anno 963. tit. 370. 414. & 444. Ubi in testamento scilicet Comitis Rusinonensis Guinardi de anno 1173. leguntur solidi Denariorum Narbonensium. Afferit etenim Andreas Bosch *Titols de honor de Cathaluña* lib. 4. cap. 27. pag. mihi 400. solidos Melgorienses cucurrisse in his Comitatibus, & de iis mentionem fieri in Præceptis Indephonsi I. Petri I. & Jacobi I. in quibus etiam constat de eorum valore, præcipue in illo Jacobi I. dat. Kal. Augusti 1258. cuius vigore prohibiti fuerunt in Comitatu Rusinonensi, & eorum loco intravit moneta Barcinonensis de terno.

8 Rusinonensis monetæ memoriam facit Charta Dedicationis Ecclesiæ de Aspirano de anno 1130. in laudatâ Appendix tit. 388. in qua legitur, quod dicta Ecclesia annuatim persolvat Helenensi suum censem, idest denarium unum monetæ Rossellæ in die Cœnæ Domini.

## §. II.

## DE MONETA CUPREA, SEU DE BILLO.

**M**onetam Barcinonensem invenimus antiquis temporibus fuisse minutam, seu cupream vulgo de Billò, de Uneto, apud alias vocatam, seu Manencos, de Quaterno, de Duplo, seu Dupleto, & de Terno; libras etiam, uncias, & solidos auri, & argenti; Item Mancusso, Morabatinos, & Florenos auri, & Croatos, seu cruce signatos, de quibus feriatim afferam quæ circa eorum valorem inveni, sequentibus §§.

10 Ex quodam manuscripto antiquo, existimo ab Archivio Magistratus Barcinon. sumpto, sequentia didici, nimirum, quod anno Domini 1137. Raymundus Berengarius IV. Comes Barcinone cudere fecit monetam minutam vocatam *Manencos*, ex quâ marcha argenti valebat quinquaginta solidos; Quodque anno 1185. Comes Barcinone aliam fecit excudere monetam vocatam *Bussana*, ex quâ marcha argenti valebat quinquaginta, & unum solidos, sed duravit per tres tantummodo annos: Deinde Rex Petrus I. anno 1200. alteram fecit cudere monetam nuncupatam *Bruna*, quæ per novem annos tantummodo duravit, ex quâ marcha argenti erat valoris sexaginta trium solidorum; attamen anno 1210. mensibus Martii, Aprilis, & Maii solummodo fuit valoris quinquaginta quinque solidorum; mensibus Junii, Julii, & Augusti 57 fs.; mensibus Septembri, & Octobris 58 fs.; & ultimis duobus mensibus 60 fs.; sequenti verò anno quolibet mense suscepit incrementum marcha argenti usque ad 84 fs. causa, ut presumitur, quia anno 1212. idem Rex cudere fecit monetam minutam vocatam de *Quaterno*, seu de *Quart*, quæ cæpit distribui die 15. Aprilis, ex quâ marcha argenti valebat 84 fs. (existimo legendum 44 fs., ut infra patebit) sed paulo post alteram excudere fecit monetam vocatam de *Cort*, ex qua marcha argenti valebat 91 fs., quâ sparsâ monetâ, reduc-tus

ius fuit valor marchæ argenti ad 64 fs. : Anno vero 1221. Rex Jacobus I. alteram fecit cudere monetam nuncupatam de *Duplo*, sive de *Doblet* cuius incepit distributio die 10. Februarii; non tamen exprimitur quanti fuerit valoris marchæ argenti, sed eum explicat cedula Regia Jacobi I. data Bilbili seu Calatayud 5. Kal. Januarii 1222. qua confirmavit quod in contractibus designaretur marcha argenti ad 88 fs. ut asserit P. M. Fr. Marianus Ribera in prima Centuria Ordinis Beatae Mariæ de Mercede circa finem in reflexione 14. pag. 631. num. 105. asserens sic vidisse in Regio Archivio de quo fuit Rector: Tandem idem Rex Jacobus anno 1258. excudere fecit ultimam monetam nuncupatam de *Terno*, quæ prævaluit, & de ea observavit Laudatus Ribera loco citato, quod anno 1285. valebat Marcha argenti fini nuncupati de *peça* 60 fs., prout asserit constare in Regio Registro Petri II. de anno 1284. & 1285., de qua moneta infra latius dicetur.

Quod anno 1200. curreret moneta *Bruna*, & durasset usque ad annum 1209.; quod eo anno foret aspersa alia vocata *Bussana*, seu *Bosanaya*, quæ duravit per tres annos, usque scilicet 1212. in quo cœpit currere moneta de *Quaterno* 11. Kal. Aprilis, & anno 1221. moneta de *Duplo*, ac anno 1258. 8. Kalend. Septembris moneta de *Terno*; testatur Chronicon Barcinonensis scriptus anno 1368. traditus à Balusio aute appendicem Marcæ Hispanicæ col. 754. ac etiam ab Acherio in tom. 3. Spicilegii Impressionis Parisianæ de anno 1723. pag. 140. licet in quibusdam verbis inter se discrepant; in quo quidem Chronicone etiam habetur quod: 11. Kal. Madii 1213. fuit injunctum omnibus Notariis Barchinone quod ponerent in Chartis ad quadraginta quatuor solidos marcham argenti (Acherius refert 48 fs. & verisimilius;) Quarto nonas Augusti ejusdem anni fuit injunctum dictis Notariis, quod ponerent in Chartis marcham argenti ad 75 fs. (Acherius tradit 88 fs. omissit sequentia) & quarto Idus Januarii subsequentis fuit injunctum dictis Notariis, quod ponerent in Chartis marcham argenti ad 88 fs. sed quia hæc aliquantulum pugnant cum notis supra positis; propterea recurrentum

est ad nostrates Scriptores antiquos, & ad quasdam Chartas authenticas valorem marchæ argenti referentes.

12 Etenim Guillelmus de Vallesicca Dr. Egregius, qui initio saeculi decimi quinti scripsit super Usaticos Barcinone circa finem apparatus fol. mihi 159. afferit quod anno 1212. fuit aspersa moneta de Quaterno à Domino Rege Petro I. & valuit marcha argenti 44 ss. Decimo Kal. Martii anno 1221. fuit aspersa moneta de Dupleto à Domino Rege Jacobo I. & in sequenti anno fuit mandatum omnibus Notariis quod non ponerent in Chartis marchas argenti ad rationem 44 ss. Et circa finem Capitis hæc etiam habet: scias quod in anno Domini 1180. currebat moneta uneta in Barcinone, & cucurrit multo tempore, & valebat marcha argenti quadraginta quatuor solidos, ut continetur in Charta quadam, quam tenet Guillermus de Riaria in Vico Bocarie Barcinone & est facta sub anno Domini 1087. (existimo dicendum 1187.) nam anno 1192. 7. Kalend. Maii Præpositus & Capitulum Ecclesiæ Tarraconen. quandam fecerunt Concessionem in emphiteusim de quadam petia terræ ad edificandas domus Barcinone ad ipsos arcus ad censum quinque solidorum moneta Barcinonen. valente marcha argenti 44 ss. Eandem expressionem habet alia Charta de anno 1194. scilicet ejusdem impignorationis de 140 ss. Denariorum Barchinone monetæ valente marcha argenti 44 ss. Nec non altera de anno 1207. 7. Idus Decembris, cuiusdam scilicet venditionis pro pretio 30 ss. Barcinonensium valente marcha argenti 44 ss. Eandem expressionem valoris 44 ss. marchæ argenti habet alia Charta originalis, quam vidi, & exscripsi, Datalia scilicet Beneficii Beatae Mariæ de Gradu in Parochiali de Palou in Vallensi, de anno 1203.: Et alia Charta venditionis de quibusdam juribus in Villarrotunda 8. Idus Januarii 1210. in qua legitur: *Recepimus à vobis mille quadringentos solidos bonæ monetæ Barchinonen. valente marcha argenti 44. solidos.* Aliam vidi etiam Chartam originalem factam Idus Junii 1220. cum qua Raymundus de Partagatio vendidit domui Beatae Mariæ de Valldonzella, & Procuratori ejusdem quemdam Mansum in Parochia S. Justi de Vertio pro prætio 55 ss.

Barchinonen. cum expressione valenti marcha argenti 44. solidos : Alteram etiam factam 12. Kal. Martii 1230. , in quo currebat moneta de *Duplo* cum qua Praepositus Domus Sanctæ Mariæ de Valldonzella concessit Guillermo de Villar quamdam petiam terræ in Parochia de Provinciana ad censum quinque solidorum monetæ Barchinonen. ibi : *Valenti marcha argenti* 88 fs. : Sed pro hujusmodi intelligentia attende, quod idem est dicere valere marcham argenti 44 fs. , quam dicere : moneta de *Quaterno*, vel de *Uneto* ; & 88 fs. quam moneta de *Duplo*, ut ex sequentibus patebit.

13 Ex dictis sequitur quod antequam mutaretur moneta antiqua, scilicet anno 1200. , vel 1209. de ea marcha argenti valebat 44 fs. , moneta *Uneta* erat ejusdem speciei, seu valoris atque moneta de *Quaterno* : cumque ad prefens eadem marcha valeat 320 fs. monetæ currentis, quisque solidus illius monetæ nunc valeret 7 fs. tres Denarios, & tres undecimas partes alterius denarii hujus monetæ, ut calculanti patebit. Sed nota quæ infra dicentur de valore unciae auri ante Usaticos num. 27.

14 Patefacto valore antiquioris monetæ minutæ vulgo de *Billò*, inquirendum est de aliis tribus monetis de *Duplo* de *Quaterno*, & de *Terno*. Dictum est supra num. 10. 11. & 12. quod anno 1212. fuit aspersa moneta de *Quaterno*, circa quam supra laudatus Guillermus de Vallesicca in Usatico solidus aureus fol. mihi 159. addit, quod fuit condita à Petro I. Rege Aragonum, & quod tunc valuit marcha argenti 44 fs. , & duravit usquequò venit moneta de *Duplo*, quæ aspersa extitit 10. Kalend. Martii à Nativitate 1221. à Rege Jacobo I. quâ aspersa moneta de *Duplo* injunctionem fuit Notariis, ut non ponerent in Chartis marcham argenti ad rationem 44 fs. Quodque octavo, alias undecimo Kalend. Septembris 1258. alias 1259. distributa fuit moneta de *Terno*, quæ fuit perpetualis, & immutabilis, ut infra ostendetur. Addit etiam quod hujusmodi monetæ computabantur isto modo nimirum : *Moneta de Quaterno* valet in *Duplum* magis, quam de *Duplo*; ita quod unus Denarius de *Quaterno* valet in quarta parte magis quam moneta de

Terno, ita quod tres Denarii de Quaterno valent quatuor Denarios de Terno; moneta vero de Duplo valet in tertia parte minus, quam moneta de Terno; ita quod unus Denarius de Terno valet Obolos tres ( scilicet Denarium, & medium, seu tres Malles ) de Duplo; & sic secundum istum valorem, compensando dictas monetarum cum moneta de Terno, quam hodie habemus ( scilicet initio saeculi XV.) decem solidi de Quaterno valent 13 fs. 4. Denarios de Terno; & decem solidi de Duplo valent 6 fs. 8. de Terno &c. addens: Et ita in veritate reperta fuisse apud Monetarios Barcinonæ.

15 Idem asserit Jacobus Marquilles, (qui accuratè scripsit super Usaticos Barcinonæ anno 1448.) super Usatico Solidus aureus, fol. mihi 360. versi. Et ut melius, & sequen. ubi latè describit tempus mutationis hujusmodi monetarum, & suum respective valorem, quæ in omnibus concordant cum relatis à Vallesieca, & addit nota 12. ibi: Quod moneta de Quaterno valet plusquam moneta de Terno, ideo quia in illa de Quaterno sunt in duodecim marchis, quatuor marchæ argenti, & octo cupri, five de Coure; & in moneta de Terno in duodecim marchis sunt tres marchæ argenti; & novem cupri, five de Coure; & in moneta de Duplo, five de Duplo, five Doblenca in duodecim marchis sunt duæ marchæ argenti, & decem cupri, five de Coure: Idem repetit in aliis locis laudatae suæ operæ, præcipue in Usatico Moneta 66. nota 13. & infra sub alia nota 7. hæc adhuc clarius explanat his verbis: Nota quod dicti Antiqui tres cæperunt marchas æris, & unam argenti, & in simul fuso fuit unum Rieille, quod fuit pensi quatuor marcharum, & post dictarum quatuor marcharum ipsi antiqui septuaginta duas partes fecerunt; & idem etiam de qualibet dictarum septuaginta duarum partium fecerunt duodecim partes, in tantum quod quælibet dictarum partium fuit unus Denarius; & consequenter quælibet ipsarum 72. partium fuit unus solidus, in qua parte, quodlibet quartum fuit argenti; ideoque cum duodecim Denariis sint quartum tres Denarii, ex eo dicta est moneta de Terno &c. Et tandem in Commentis Usatici Solidus aureus fol. mihi 361. exscribit sententiam latam per Regem Jacobum I. 6. Kalend. Julii 1260.

super quadam quæstione suborta circa impositionem cuiusdam census 7 fs. monetæ de Duplo curribilis tempore impositionis census; quos quidem septem solidos ex moneta Terneta Dominus prætendebat recipere ab Emphiteota; qui quidem Rex, habito consilio sapientum, declaravit, ipsum Dominum ab Emphiteota solummodo recipere debere 4 fs. 8. monetæ Ternetæ pro 7 fs. de Dupleto, addens: *Et sic de cætero dicimus observandum in omnibus censualibus quantæcumque fuerint quantitatis, quod pro tribus solidis, vel tribus denariis monetæ veteris de Dupleto solvantur duo solidi, vel duo denarii præsentis monetæ de Ternetæ: Hec autem in hoc casu volumus obtinere, & in pendentibus negotiis, & in similibus in futurum, verbo curribili, in Instrumento censuali apposito, in aliquo non obstante; tamen propter illud aliquid pactum in contrarium appositum nullatenus intelligatur &c.*: Quare laudati de Vallesicca, & Marquilles in memoratis Usaticis animadvertunt, quod quando in Instrumentis antiquis leguntur solidi, vel denarii monetæ curribilis, attendatur tempus, seu Kalendarium Instrumentorum; nam ut ait idem Marquilles loco citato nota 6. 7. & 8. Si Instrumentum babet Kalendarium ante 10. Kal. Martii 1221. intelligendum est de moneta de Quaterno; si ex tunc ad 8. alias 11. Kalend. Septembbris 1258. alias 1259. intelligendum est de moneta de Dupleto, & ex post de moneta de Terno: Cui authoritati addendum est ex dictis supra num. 10. 11. & 12. quod si Kalendarium est ante annum 1185. intelligendum est de moneta Uneta, ex qua marcha argenti valebat 44 fs. sicut illa de Quaterno; ab inde enim variauit usque 1221. ut ibi refertur.

16 Sed nota: Quod tempore quo currebat moneta de Quaterno, etiam currebat moneta de Duplo, de qua marcha argenti valebat 88 fs. ut Justitia suadebat, prout exprimit Charta ultimo loco designata supra num. 12. de anno 1230. & testamentum Berengariorum Barcino-nen. in quo legitur assignasse Altari S. Michaelis Quingentos solidos bujus monetæ Barcino-nen. de qua valet marcha argenti 88 fs. ut in Archivio Ecclesiæ Se-

Sedis Barcinonen. & alibi est videre ; ex quo infertur, utramque monetam de Quaterno , & de Duplo , uno , & eodem tempore currere ; quæ cum designatione valoris marchæ argenti distinguebatur , & propterea valor marchæ argenti , quando exprimitur in Chartis designat qualitatem monetæ , si 44 ss. de Quaterno , vel de Uneto ; si 88 ss. de Duplo , quæ erat semivaloris cum moneta de Quaterno , & hæc duplicis valoris cum moneta de Duplo , ut superius est dictum.

## §. III.

## QUOMODO PERPETUATA FUIT MONETA DE TERNO.

17 **E**xplorato jam valore monetæ de Uneto , de Duplo , & de Quaterno , ipsoque combinato cum moneta de Terno , restat explorare , quomodo hæc perpetuata , & quomodo corrupta , seu adulterata fuit . Etenim moneta condita anno 1258. seu 1259. extitit perpetuata in Curiis Regiis Jacobi II. de anno 1291. cap. 8. his verbis : *Confirmam , è otorgam per tots temps la moneda de Tern perpetual segons la forma del Privilegi de aquella moneda.* Similiter in Comitiis celebratis Dertusæ anno 1365. in quibus , quamvis propter expensas bellicas prætendetur minui valorem intrinsecum monetæ de Terno ; opponentibus se Consulibus Barcinonæ statutum fuit cap. 6. ibi : *Estatuim , è sancim , è encara ordenam , que la dita moneda Barcelonesa , així de Diners menuts , com de argent sia perpetua , stable , incommutable en ley , è en senyal , així com per los Illustres Reys de Aragò en diversos dies , è temps per diversos Privilegis lurs , es estat ordenat , &c.* Ut in volumine constitutionum Cathaloniæ est videre .

18 Sed animadverte ea , quæ notavit Marquilles , ad Usaticum 66. Moneta fol. mihi 193. ubi explanat monetam de Terno sequentibus notis scitu dignis , quas hic inferere decrevi : *Et nota quod in moneta de Terno , quæ stabilit per perpetuò est , & immutabilis , ut dixi &c. est quartum argenti,*

ii, & tria quarta restantia sunt Aeris ; unde sequitur quod ideo dicitur moneta de Terno ; nam in duodecim Denariis sunt tres Denarii argenti : Nota 2. Quod Denarii de Terno ita proportionati esse debent , scilicet quod tres Denarii minutus , qui sunt boni de Terno tantum pensum quantum unus Crucesignatus , sive Croat argenti ( scilicet ea moneta argentea , quæ adhuc hodie vocatur regalia argenti signata cruce , ut refert idem Author nota præcedenti & infra nota 4. ) debent habere , si- ve pluri , è sens mensis : Et per consequens postquam in duodecim Denariis pensum est trium Denariorum argenti , quod tan- tum est argentum quantum habetur in uno Crucesignato : se- quitur ergo multum bene , quod unus Crucesignatus non est va- loris nisi duodecim Denariorum minutorum de Terno. Nota 3. Quod ratio evidentissima est , eo quod Crucesignatus habet pon- derare ipsos tres Denarios scilicet , quod 72. Crucesignati rectè pensum habent unius marchæ argenti ; & ad idem octodecim solidi minutus de Terno , sicuti de Seca exeunt aliam marcham ponderant , in quibus octodecim solidis reperies septuaginta duo Terna Denariorum minutorum : fac igitur compotum , nam ita inveneris sine dubio. Nota 4. Quod bene dictum est supra , sicut de Seca exeunt ; nam nunc ( scilicet anno 1449. in quo laudatus Author scribebat ) hi Denarii minutus currentes de Terno propter usum ipsorum , nec non quia licet quod sit moneta de Terno videtur tamen , quod benè non sufficiat , pro eo , quia ar- gentum , quod in dicto Terno mittitur non sufficit benè legi undecim Denariorum , & Oboli , imò dicitur quod stasse sufficit ad undecim Denarios , ideoque tantum de numero ( videtur legen- dum nomine ) potest dici moneta de Terno ; sed non de lege , unde intellige , potest super hoc , quod in uno Crucesignato plus argentum est , quod in duodecim Denariis de Terno : Nec minus allegari potest , quod in minutis magis expensæ fiant , quam in Crucesignatis , & consequenter verum esse potest , quod Antiqui , tali habito respectu , ordinarunt , quod Crucesignatus duodecim Denariorum minutorum de Terno esset valoris ; & ita sequutum fuit donec per Florenum indebita , sive follament , omnino fuit destructum ; nunc autem Crucesignati , alias in vulgo Regalia muncupati ( hæc verba , nota ) sunt valoris quindecim Dena- riorum .

riorum de Terno; & ita diu est cucurrerunt, & nunc, & contineunt currunt, & bene; sic quod Florenus valet undecim solidos de Terno, vel octo regalia cum dimidio, & quatuor Denarios, & Obolo de Terno: Ex quo quidem textu deducitur qualitas, pondus, & valor monetæ de Terno, ac etiam Croatorum, seu Crucesignatorum, vulgo Regalium argenti; quorum aliqui adhuc currunt, licet vel mutilati, vel diminuti penso, ac lege, & nihilominus 36. Denarios monetæ modo currentis valent, de quibus infra dicetur.

## §. IV.

## DE OBOLIS VULGO MALLE.

<sup>19</sup> **A**dgit laudatus Scriptor sub eodem Usatico fol. mihi 192. col. 3. circa Obolos, seu Malles, sequentia: Nota 2. Quod iis annis nondiu effluxis per inadvertentiam, & inopinatè pro grandi parte Cathalonie Principatus currere introducili fuere Oboli, sive Malles modici valoris, quæ in Sequis Perpiniani, & Valentiæ cedere principiati fuere, & omnia ibi, & in aliis sequis extra hoc Regnum, nec non ut præsumitur, per alia diversa loca absconsa; adeo quod tot currebant, per ipsum Principatum, quod erat massa gran abus (idest nimius abusus;) unde discussione inde peracta, tam in penso, quam in numero, quam etiam in lege, qua ex causa perceptum fuit, & intellectum, cum de una Æris marcha siebant, sive sortient 640. Oboli, sic quod ad duos pro uno Denario ascendebat in summa recta 26 ss. octo Denarii; & dicta marcha plus de octo Denariis non valebat ad rationem 6  $\frac{1}{2}$  ss. Quintare Æris; & lex ipsorum Obolorum erat talis, scilicet, quod aliqui de argento vivo erant salpistati, & alii desuper signati; ad conclusionem, quod Billonerius Florenum se deferebat pro tribus Denariis, pugessia parum plus; Nota 3. Quod notabile Concilium Civitatis Barcinonæ prædictæ, tam magnum videns abusum, in utilitatemque Reipublicæ defacto fuit provisum ab ipso, quod dicti Oboli radicitus in Civitate prædicta currere stirpati fuerunt, & inhibiti sub certo banno, & per consequens de cætero non cucur-

terunt, & bene &c. Nota 5. Quod Obolus proprie idem est, quod medietas nummi, vel Denarii, &c.

§. V.

QUOMODO IMMINUTUS FUIT VALOR MONETÆ  
de Terno.

20 **M**oneta de Terno cum pondere, & lege expensis §§. præcedentibus fuit conservata usque ad annum 1598. in quo per Proceres Civitatis Barcinonensis exposita fuit Regi Philippo III. Castellæ, Aragoniæ verò II. notabilis carentia monetæ de Terno, proveniens ex eo, quod in illâ magna argenti portio immiscenda erat, & Artifices propter notum lucrum fundebant eam; unde cessatum fuerat talem cudere monetam, præmaximè, quia ob caritatem metallorum, Magistratus notabile patiebatur damnum in ejus monetæ excussione; cùmque ipse Magistratus cuperet fabricare Portum, reparare muros Urbis, & provideri de armis, supplicarunt eumdem Regem pro ampliatione Privilegii excudendi monetam, taliter quod argentum in massa metalli infundendum, foret ad arbitrium Consiliariorum Barcin., & quatuor Personarum Gubernatrixum Tabulæ Barcin., prout similem facultatem jam obtinuerant nonnullæ Universitates Cathaloniæ, præcipue Gerundæ, Podiicæritani, & Perpiniani; & dictus Rex decrevit: Place à sa Magestad, de qua concessione expeditum fuit Regium Privilegium dat. in Monasterio S. Laurentii die 24. Octobris 1598. cuius copiam vidi, & legi.

21 In vim prætacti Privilegii cœpit minui infusio argenti in massa monetæ de Billò, sed paulo post penitus nam anno 1612. Proceres Civitatis jam exposuère Marchioni de Almazan Prorregi Cathaloniæ damnum quod patiebatur Principatus ob monetam minutam adulterinam, improbam, & contrafactam quæ abundantiter undequaque illata fuerat, & petita fuit facultas cudendi alios nummos, sine mixtura argenti, habentes valorem intrin-

fecum, deductâ manufacturâ; Prorex verò decrevit: *Plan à sa Excelencia, durânt la mera, y libera voluntat de sa Mageſtad, de sa Excelencia, y de sos Successors:* De qua quidem conſeſſione fuerunt expeditæ litteræ dat. 31. Maii 1612., qua-rum copiam etiam legi: exiſtimo tamen, hanc concessio-nenem paucum, aut nullum produxiſſe effectum; nam ſcri-put invenio, quod Magiftratus anno 1613. ita melioravit monetam; ut in qualibet marcha metalli infunderebetur duodecim ſolidi argenti, & tres ſolidi cupri; & pro manuſactura, quatuor ſolidi bonificarentur Magistro; & prop-terea, valente marcha 24 ſs. lucrabatur Magiftratus 5 ſs. pro qualibet marcha ultra ſegmenta; prout legi in quo-dam manuſcripto legali: Attamen anno 1633. in altera ex-cuſſione minorata fuit pro medietate immiffio argenti in maſſa monetæ; tali ſcilicet modo; quod Magiftratus, fo-lummodò bonificabat Magistro monetæ pro qualibet mar-cha, ſeu beſſe monetæ cupreæ valente 24 ſs. ſex ſolidos pro argento, tres ſolidos pro Ære, & quatuor ſolidos pro manuſactura; ſicque Magiftratus lucrabatur in qualibet marcha undecim ſolidos ultra ſibulas, ſeu ſegmenta, prout in quodam legali manuſcripto exaratum vidi.

22 Circa finem autem anni 1640. durantibus turbatio-nibus Catholoniæ, cudere fecit Magiftratus monetam cu-pream ſexdenariam, nuncupatam *Sifens*, valente quolibet ſex Denarios, unde nomen fuſcepere; ſed quamvis in prin-cipio cuſſionis forent de lege ternali; attamen poſtea fuerunt excuſſi valde inferioris valoris intrinſeci, ita ut valor in-trinſecus cujuſlibet erat unius Denarii cum dimidio reſpectu auri, & argenti; Quare ita abundavit hæc moneta ſexde-naria, tum ex nimia cuſſione, tum propter lucrum ( cu-jus Exteri allecti innumerabilem ſummam talis monetæ in hoc Principatu intulere) ut quamplurimæ luſtiones cen-tuſialium in Tabula Cambii, & Bancho Civitatis factæ exti-terint; de quo adhuc dolent quamplurimi, præcipue Ec-clefia; et propterea moneta auri, & argenti fuſcepit nota-bile crementum, itaut paulatim Duplea auri valeret 16y ſs. talis monetæ; quæ tandem, ſedatis turbationibus, cum no-ta-

tabilissimo damno plurimorum , præcipue Ecclesiarum , fuit abolita anno 1653. , Regio præconio adhibito die 7. Aprilis ; & nihilominus hujusmodi sex Denarii recepti fuerunt pro uno Denario , & medio mensibus Aprilis , Maii , & Junii , & usquequo Magistratus iterum cudere fecit minutos , qui licet de lege dicerentur ternali , verumtamen compertum fuit , triginta quatuor Denarios argenti in qualibet marcha monetæ existere ; de quo querelatum fuit : Sed cum Magistratus ex antiquo lucro maximum damnum reportasset , toleratum extitit ; sive paulatim minuit valor , & probitas monetæ de Terno . Sed pejus actum fuit initio hujus sæculi , in quo durantibus turbationibus , Magistratus reimprimere , seu recudere fecit minutos currenes cum inscriptione quod quisquam Denarius reimpresus valebat duos Denarios , quod per aliquos duravit annos ; quo tempore plurimi allecti ex notabili lucro , copiam Denariorum improborum , & contrafactorum cum simili inscriptione intulerunt , donec , sedatis turbationibus , ad pristinum valorem redacti fuere ; quique probi , & improbi ac deformati adhuc currunt . Ex dictis concluditur monetam cupream Barcinonensem talis fuisse valoris , quod condita ante annum 1137. solidi 44. : illa vocata Manencos , eo anno cussa , solidi 50. : alia Bussana seu Bussanaya nominata anno 1185. sparsa , solidi 51. : altera dicta Bruna anno 1200. cussa , solidi 63. : alia nuncupata de Quaterno anno 1212. condita , solidi 44. altera dicta de Cort , quæ paulo post per 3. annos duravit , solidi 91. : de Duplo seu Dupleto cussa anno 1221. solidi 88. alia tandem de Terno dicta , condita & perpetuata anno 1259. solidi 60. seu potius 59. Marcham argenti puri comparabant : Hisque temporibus ad eam marcham comparandam solidi 320. monetæ currentis requiruntur ; prout supra num. 10. & sequent. , ostenditur .



## §. VI.

## DE MONETA AUREA, ET ARGENTEAE ANTIQUA.

23 D Eclaratis qualitate, pondere, & valore antiquis monetæ Ærosæ, sive de Billò, restat dicendum de priscis Monetis auri, & argenti, quæ in Instrumentis antiquis in Cathaloniae actis designantur, ut earum valor equiparari possit cum monetâ Ærosa, seu de Billò antiqua, & his temporibus currenti. Illæ verò designantur in Usatico Solidus aureus, quod in volumine Constitutionum Catholoniæ sic vertitur: *Sou de Or hâ vuyt argens: unça quatorze: liura de Or vint, y un sous: lo sou val quatre Morabatins: la unça set Morabatins: la liura setanta quatre Morabatinis* (sed legendum cum notâ infra, & antiquis Commentatoribus Usaticorum Octuaginta quatuor; nam si libra valet 21 ss., & quisquis solidus quatuor Morabatinos, necessariò dicendum 84.) *Cent liuras de Or de Valencia ban en si dos milia, è cent sous de Or, qui valen vuyt milia, è quatre cents Morabatins: cent unças de Or de Valencia valen dos cents Morabatins: è quatre Mancusos, è mitg de aquell Or valen un Morabati: è set Mancusos de aquell mateix Or fan una unça, qui val dos Morabatins: prout in ultima compilatione Constitutionum Catholoniæ pag. 470. est videre.*

24 Convenit in pluribus cum hoc Usatico, & adhuc illum aliquantulum explicat, et si in nonnullis pugnet nota continuata in Calce testamenti Guislæ Comitissæ Cæritaniae de anno 1020. exscripti in Appendice Marcæ Hispanicæ tit. 183. col. 1020., quæ supponitur facta antequam foret conditus allatus Usaticus, & est hujusmodi: *Solidum aureum habet octo argenteos: Argenteus unus ponderatur viginti duo grana hordei: uncia verò habet octodecim argenteos, & medium: libra verò auri habet undecim solidos* (sed legendum cum Usatico viginti unum) *solidus quoque habet quatuor Morabatinos: uncia verò septem: libra namque octuaginta quatuor: centum solidi* (scilicet auri) *valent 400. Morabatinos,*

¶ 300. solidos valent Morabatinos 1200. : centum unciæ auri Valentiae valent 200. Morabatinos , & tres Mancussoſ , & me- dium : æs de auro unus Morabatinus ; Mancusſus valet xvij. De- narios ; licet littera V. sit corrupta , attamen ſic eſſe legen- dum ex dicendis patebit.

25 Amplius declaravit valorem monetæ antiquæ Rex Petrus III. in Curiis celebratis Perpiniani anno 1351. ut in volumine Constitutionum Cathalonie lib. 10. tit. 2. Conſt. 3. ubi regulavit monetas auri , & argenti cum moneta de Terno his verbis : *Que lo Morabati , del qual en los Usatges mensio es feta , val quatre sous Barcelonesos de Tern , è la Unça de Or cuyt , vint , y vuyt sous , è de Or de Valencia vuyt sous tantolament : lo Sou emperò de Or val fetſe ſous de la dita mo- neda , è lo ſou de argent , ò de plata que es una coſa mateixa val dos ſous de la dita moneda : lo Mancus emperò de Or de Valen- cia val fetſe diners de la dita moneda , è no mes : At circa Mo- rabatinos , & Mancusſos , vide quæ ſub eis dicentur.*

26 Sed notandum quod libra auri , vel argenti , licet ſupponatur compacta ex duodecim unciis ; aliquando ex- primitur ad penſum , & aliquando ſupponitur moneta licet immaginaria , ſicut adhuc nostris temporibus , libras mo- netæ Barcinon. paſſim deſcribimus ; etenim in diversis an- tiquis Chartis legimus libras auri , & argenti abſque ali- qua expreſſione monetæ ut inter alia eſt videre in Chartis contentis in Appendice Marcæ Hispaniæ tit. 2. de anno 819. , auri libra componere , tit. 72. de anno 936. accepit pro- prætio libra una de auro optimo ; in Conſecratione Ecclesiæ S. Stephani de Parets de anno 904. libra auri componat , tit. 118. de anno 974. componat libram auri unam , tit. 198. de anno 1025. componat vobis centum libras auri purissimi ; tit. 206. de anno 1030. componat in vinculo triginta libras de auro purissimo : tit. 211. de anno 1033. perſolvat decem libras auris tit. 213. de anno 1035. componat iu vinculo auri optimi libras ducentas . Quo verò ad libras argenti in laudatâ Appendix variis in locis inveniuntur , ut tit. 77. de anno 941. propter preium librarum quinque optimæ platæ ; tit. 155. de anno 1007. triginta libras argenti eidem Ecclesiæ perſolvat : tit. 216.

de anno 1036. triginta libras argenti componat ; & denique tit. 361. in Charta cuiusdam impignorationis factæ per Comitem Barcinon. anno 1118. ibi : Propter quadraginta libras argenti fini ad rectum pondus Perpiniani quod sit libra ad ferrum ponderis viginti unius solidi : ex quo deducitur quod si-  
cūt libra auri erat ejusdem valoris , ac viginti unius solidorum aureorum ; ita libra argenti erat viginti unius solidorum , seu argenteorum.

27 Notandum est etiam , quod diversæ erant auri unciae pondericæ , & unciae monetæ ; etenim uncias auri absolute legimus in diversis Chartis passim in laudatâ Appendix , & alibi , & præcipue notandum tit. 235. in Charta conventionum inter Comites Barcinon. , & Urgellens. de anno 1050. in qua legitur quod Comes Urgellensi dedit ob-  
fides per decem mille solidos , qui valent ducentas uncias de bo-  
no auro ; & infra : Centum uncias de bono auro , quæ sunt tre-  
centæ unciae ; ex quo textu , infertur ; illas centum uncias de bono auro esse pondericas , & quamque continere tres uncias monetæ , cùmque quælibet illarum valeret quinqua-  
ginta solidos monetæ minutæ ( ut testatur nedum ipsa Charta , sed etiam sequentes ) aperte sequitur ante Usati-  
cos unciam monetæ valere tertiam partem unciae ponde-  
ricæ , scilicet sexdecim solidos , & octo Denarios. Et prop-  
terea ante Usaticos moneta minuta erat melioris condi-  
tionis , seu valoris , quam moneta de Terno , de qua uncia auri moneta valebat viginti octo solidos , ut superius num.  
25. est dictum. Vide etiam quæ supra deducuntur num. 13. Hæc enim videntur confirmari in eâdem Appendix tit.  
246. Charta scilicet sponsalitii Comitis Barcinon. cum Adalmode de anno 1056. ubi legitur : Quinquaginta millia solidos valentes mille uncias auri optimi , & tit. 257. Charta nimirum conventionum inter laudatos Comites de anno 1064. ubi legitur : Per tales decem millia solidos , qui valent ducentas uncias auri monetæ Barcinon. ; eadem ferè verba re-  
feruntur in alia Charta venditionis 6. Idus Martii anno 23. Regis Henrici , hoc est 1054. per pretium unciarum 4. auri Bar-  
chinonensis : atque in altera : 8. Idus 27. ejusdem Regis , hoc  
est

est 1058. : propter pretium uncias 3. de auro in rem valentem septem Mancusos in numero de uncia monetæ Barchinonæ. : ex quibus infertur quod quælibet uncia auri valebat 50 ss. Sed nota ; quod post excussionem monetæ de Terno , quæ erat minoris valoris , quam antiqua , uncia auri erat valoris 60 ss. , ut testatur P. Emanuel Marianus Ribera : *Militia Mercenaria* part. 1. circa finem pag. 630. num. 10. aiens se ita vidisse in Regio Archivio cum Chartis de annis 1294.

1299. & 1313.

28 Quod essent unciae auri ad pensum , & unciae monetæ ostendunt quædam Chartæ scilicet venditionis quarumdam domorum fact. per Episcopum Barcinon. anno 1006. ad reædificandam Turrim de Granata, in qua habetur: *Propter pretium uncias quatuor , & medianam de auro cocto iahari & almuri legitimè pensatas*, ut in Archivio Mensæ Episcopalis etiam altera in eadem Appendice tit. 261. de anno 1067. ubi legitur: *Accepimus in præmium mille centum uncias auræ monetæ Barcheonæ ad pensum*: & tit. 276. de anno 1070. Ubi propter pretium id sunt quadraginta unciae auri puri , & optimi pensatae ad pensum legitimum ; tit. 277. de anno 1070. ibi: propter pretium quod est duo millia unciae auri costi Barcheonensis monetæ ad directum pensum : nec non duæ Chartæ venditionum existentes in Archivo præfato Mensæ Episcopalis , in quarum prima acta 27. Octobris anno 15. Regni Philippi , scilicet 1074. legitur : propter pretium uncias quadraginta auri monetæ Barchinonensis ; & in altera acta 3. Idus Februarii anno 20. ejusdem Regis , scilicet 1079. hæc habentur : propter pretium uncias duas auri monetæ Barchinonæ. Et nota quod in quibusdam Chartis vidi expressas uncias auri Valentini , in una scilicet venditionis quorundam alodiorum in Parochia de Poliniano. 17. Kalend. Aprilis 26. Regis Philippi , nempè 1086. in qua legitur *propter uncias decem auri Valentiani* : in altera venditionis de quibusdam terris in Parochia S. Baudilii Kal. Januarii anno 35. ejusdem Regis , hoc est 1095. in qua habetur , *uncias quinque de auro de Valentie* ; nec non in altera venditionis Charta anno 32. Regis Philippi 4. Kal. Februarii scilicet

1092. de quadam vinea in Territorio Barcinon. in quâ legitur propter pretium uncias 15. auri Valentiae de Rovallos; quanti esset valoris uncia auri Valentiae dicet Marquilles sequenti num. 30.

29 Sed objicies: aliquæ ex relatis in super adductis Chartis videntur aliquomodo pugnare cum constitutis in Usatico desuper adducto num. 23. ; ad quod respondendum est, quod Usatici Barchinone fuerunt conditi, dominante Raymundo Berengario primo hujus nominis, Senior vel veter nuncupato, anno Domini 1069. ut communiter afferunt Scriptores; & Usaticus Solidus aureus videtur conditus aliquando post; nam licet Marquilles, qui eos commentavit anno 1449., eum inter Usaticos afferat; attamen Jacobus de Montejudico, Jacobus, & Guillermus de Villafieca, & Jacobus Calicius, qui ante Marquilles ipsos Usaticos commentarunt, post Usaticos, illum tantummodo indicant, ut videre liquet apud ipsum Calicum circa finem fol. 159. ex impressione de anno 1544. sicque ea quæ pugnant cum laudato Usatico, ante eum acta attribui debent.

30 Redeundo igitur ad Usaticum Solidus aureus; ad ejus intelligentiam visum fuit hic summatim afferre expositionem Jacobi Marquilles, qui super eo ait: nota, quod hic solidus auri cocti valet sexdecim solidos monetæ Barchinonen. de Terno; ratio, quia in se octo solidos argenteos habet, ut hic in Textu, quorum quilibet, scilicet solidus argenteus vel plateræ, quod est idem, valet duos solidos monetæ prædictæ: uncia vero una, scilicet auri cocti habet quatuordecim solidos argenteos vel platæ; sic quod isti quatuordecim solidi valent 28. solidos Barcinonenses: libra similiter auri cocti viginti unum solidos qui valent 136 fs. Barchinon. nonen. pro quolibet 16 fs. computando. Nota quod dictio itaque declarat solidum aureum valere aliam monetam equivalentem octo argenteis solidis: Ideo sequitur, Monrabatinos quatuor, sub quorum quilibet, valet quatuor solidos; & sic sunt in summa sexdecim solidi Barchinonenses: & consequenter tantum est dicere, solidum auri

„ cocti valere quatuor Morabatinos, ut hic, quantum di-  
 „ cere ipsum valere octo solidos argenteos, quoniam æqua-  
 „ lis est summa ipsorum quatuor Morabatinorum, & dic-  
 „ torum octo argenteorum solidorum scilicet 16 ss. Bar-  
 „ chinonenses. *Uncia* verò, (pro sed) septem Morabatinos  
 „ valentes 28 ss. Barchinon. & etiam 14. argenteos: *Libra*  
 „ verò siquidem (pro certè) 84. scilicet Morabatinos: & sic  
 „ nota, quod libra auri cocti, secundum Usaticum hunc  
 „ valet 84. Morabatinos valentes tantum quantum va-  
 „ lent 21 ss. auri, scilicet 330 ss. Barchinon. Secus est de Ju-  
 „ re Romano; nam secundum ipsum 72. aurei faciunt li-  
 „ bram auri, ut in leg. *Quoties* cap. De *Suscep.* centum so-  
 „ lidi scilicet auri cocti 400. Morabatinos qui valent  
 „ 1600 ss. Barchinon. & centum solidi auri Valentiae, (er-  
 „ go non auri cocti) ducentum Morabatinos valentes  
 „ 800 ss. Barchinon: sexaginta autem unciae auri cocti va-  
 „ lent modo 400. Morabatinos, (& nota hic in glosa finali)  
 „ qui summam capiunt 1600 ss. Barchinon., & sic tantum  
 „ valent quantum centum solidi: *Uncia* vero auri Valentiae  
 „ valet octo solidos Barchinon.; & tres Mancussi ejusdem  
 „ auri Valentiae unum Morabatinum quatuor solidos Barci-  
 „ non. valentem; nam quilibet Mancussus valet 16. Denarios  
 „ Barchinon.; & septem Mancussi ejusdem auri, scilicet  
 „ Valentiae unciam, quæ valet octo solidos Barcin. Nota  
 vero finalis sic se habet: *Nota quod libra auri cocti valet 84.*  
*Morabatinos;* & *Morabatinus* valet duos argenteos; ergo *libra*  
*auri*, sive 21. solidi auri æquivalent. *Libra* auri cocti valet 168.  
 argenteos sive solidos platæ, qui idem sunt, ac argentei, ut col-  
 ligitur ex hoc Usatico: : : *Habita igitur certificatione,* & inde  
 computatione facta legitimè quos solidos monetæ nunc curribilis  
 valet uncia, vel libra auri fini, scietur, quæ moneta fortior est;  
 an hæc quæ nunc est in usu, an illa quæ erat tempore Usatico-  
 rum, scilicet argentei sive solidi platæ: *uncia* vero auri valet  
 28 ss. Barchinon. & *libra* auri 336. solidos Barchinon.

31 Quamvis enim hucusque adducta sufficere videan-  
 tur ad intelligentiam valoris, precipue Mancussorum &  
 Morabatinorum, quia de his in pluribus antiquis Chartis

observavi diversas fuisse species Mancusorum prius usitatorum, & deinde Morabatinorum; ideo de eis observata adducam.

## §. VII.

## DE MANCUSSIS.

32 **M**ancusus moneta, à Dominico Macri vocatur *Manocoffis*, seu *Manucussus*, quæ etiam ait denominari *Mancussus* & *Mancussa*, eamque valde antiquam supponit; & sub verbo *Marca* etiam ait, *Moneta est eadem cum Mancusso*. Attentis autem veteribus Chartis patet fuisse species Mancusorum diversæ ab iis de quibus loquuntur Usatici, & Marquilles numero præcedenti: Nam in quadam Charta de anno 1031. legi: *Mancusos tres de auro cocto iaferino*; in alia de anno 1033. *octo Mancusos de auro sufficienti*; in alia de anno 1063. *uncias quinque*, & *Mancusos quinque auri puri monetæ Barchinonens. de decem unciarum*: in altera de anno 1066.: *quinque Mancusos auri Barchinonensis*: In venditione Comitis Cæritaniæ Comiti Barchinonensi de anno 1068. tit. 266. Appendix Marcæ Hispanicæ, Comes Cæritanus confitetur recepisse 4000. *Mancusos Barchinonenses*; & tit. 271. ejusdem Appendix legitur: *propter pretium quingentorum Mancusorum Barchinonensis monetæ*: ejusdem vero speciei existimo fuisse Mancusos descriptos in Charta sponsalitii Adalmodis cum Comite Raymundo Berengario de anno 1056. in ipsamet Appendice tit. 246. in qua Comes donavit Comitissæ: *Centum Mancusos per unum quenque mensem de ipsa Paria, que dantur mibi de Saragosa*: & infra: *& alios centum de Lerita*; & ducor, quia vidi Chartam venditionis factæ per Peregrinum Sendredo Raymundo & Arnaldo Guiriberti de quibusdam alodiiis in Vallenfe 8. Kalend. Julii anno nono Regis Philippi, hoc est 1069. in qua dicitur: *propter pretium 140. Mancusorum de auro puro monetæ Almodis Comitissæ*.

33 Alia vero species Mancusorum cum expressione auræ

ri Valentiae, seu sine expressione auri, inferioris erant valoris ac Barcinonenses: & de iis loquuntur Usatici & Commentatores, præcipue Marquilles numero precedenti: ubi asseritur septem Mancussoſ auri Valentiae valere unciam auri Barchinonen.; & tres Mancussoſ, urum Morabatinum. De hac ultima Mancusſorum specie loquitur Rex Petrus III. in Curiis Generalibus Perpiniani de anno 1351. cap. cum de valore, de quo supra num. 25.: ubi firmatur Mancusſum ſolum valere ſexdecim Denarios ejusdem monetæ, prout etiam firmat laudatus Marquilles ſuper Uſatico 53. fol. mihi 160. col. 2. ubi loquens de Mancusſis ait, *ſed ve-*  
*rius dicas quod Mancusſus auri Valentiae valet ſexdecim Denarios* Barchinonenses: Eundem valorem cum forma eorum vidi expressum in quodam Processu Visitationis Prioratus Ecclesiæ de Garraf Dioceses Barcin. de anno 1435. in qua adducitur particula cuiusdam Sententiæ latæ 22. Septembris 1399. his verbis: *Satisfecisti nobis ſingulos Denarios argenti deauratos nominatos Mancus valentes quilibet ſexdecim minutos.* Auri Valentiae vidi expressos Mancusſos in quadam Charta venditionis acta 7. Idus Decembris anni 34. Regis Philippi hoc eſt 1093. ibi: propter Mancusſos 160. auri Valentiae de Rovalles: & in aliis Chartis de anno 1105. Mancusſadas novem de Denarios monetæ Barchinonen.: de annis 1084. & 1095.: propter pretium Mancusſorum 24. & 27. in rem valentem, & in aliis absolute Mancusſos nominari obſer-  
vavi.

34 Ex dictis colligitur diſtentia Mancusſorum anti-  
quorum auri Barchinonē, ſeu auri cocti, cum aliis auri  
Valentiae: nam ſi uncia auri cocti valebat 28 ſs. Barcin-  
onenses monetæ de Terno, & auri Valentiae octo ſolidos  
duintaxat, & Mancusſus auri Valentiae ſexdecim Denarios,  
ut ait Rex Petrus III. in laudato capite *Cum de valore;* ne-  
ceſſario Mancusſus auri cocti ſeu Barcinonensis valebat  
4 ſs. 8. ejusdem monetæ de Terno, ut calculanti patebit.

## §. VIII.

## DE MORABATINIS.

35 **M**oneta quæ in nostris legimus antiquis monum-  
mentis nuncupata *Morabatinus* precipue in  
impositione censuum, & etiam saeculo duodecimo etiam  
pro pretiis venditionum, dimissis Mancussis auri, valde usi-  
tata, existimo eandem esse quæ apud Dominicum Macri in  
Hierolexicone nominatur *Morabatinus*, quam sic definit:  
*Moneta species de qua saepe Census Camerarius in suo Cæremoniali manuscripto; quam monetam solebat Pontifex in aliquibus festivitatibus Cardinalibus distribuere.* Sed Carolus Macri fra-  
ter illius ipsos Marabatinos confundere cogitavit addens:  
*legitur etiam Marabatinus; fortasse nummus hic erat qui in Hispania Maravedis dicitur: & subdit Textum lib. 5. Decreta-*  
lium tit. 33. cap. 14. in quo Innocentius III. loquens de  
Episcopo Colubriensi in Portugallia ait; *& duo millia Ma-*  
*rabatinorum quæ adquisierat, in Episcopum jam promotus, Mo-*  
*nasterio dederat memorato.* At si hæc donatio fuisset de mo-  
neta, quam adhuc vocamus *Maravedis*, non tanta fuisset  
excitata questio à Summo Pontifice dirimenda. Illustrissi-  
mus autem Didacus Covarrubias in opere titulato *veterum*  
*numismatum Collatio*, precipue cap. 5. & 6. in fine tom. I. to-  
tius operis, latissime tractat de *Maravedinis* aureis & cu-  
preis, qui apud Regna Castellæ, & Portugalliax olim fuè-  
re, ad quem lectorem remitto, quia non monetæ Barcinon-  
nen: nostros enim Morabatinos existimo ab ipsis fuisse di-  
versos, & magis consonum esse illos de quibus meminit  
laudatus Censius de Sabellis, qui dictus fuit Pontifex anno  
1191. sub nomine Celestini III. nam eo seculo invenio anti-  
quiores Chartas de Morabatinis loquentes; & eos idem  
esse ac aureos colligitur ex tit. 444: Appendix Marcæ  
Hispanicæ, Judicio scilicet Curiaæ Barcinonensis super quæ-  
rimoniis inter Barcinonensem Comitem Raymundum Be-  
rengarium IV. & Raymundum Guillermum Dapiferum an-

no 1165. : in quo refertur daminum illatum & expensas fore sexaginta millium Morabatinorum ; & circa finem legitur, imputet sibi Comes supradictas expensas sexaginta millium aureorum.

36 Examinatis quidem plurimis antiquis Chartis venditionum observavi , quod exeunte seculo decimo dabatur pro pretio , vel solidi , aut pessæ de auro ; toto saeculo undecimo , quandoque uncias auri , quandoque solidi & frequentius Mancussi ut plurimum auri , ut dictum est §. praecedenti. Initio vero saeculo duodecimo oblii fuerunt Mancussi , & eorum loco subrogati Morabatini ; quorum antiquior Charta, perventa ad meas manus, acta fuit 17. Kalend. Junii anno 47. Regis Philippi , hoc est 1107. continetque venditionem medietatis juris super quibusdam domibus hac in Urbe sitis : Propter pretium Morabetins quinque auro: Aliæ enim Chartæ diversitatem afferunt Morabatinorum; nam una de anno 1113. solum habet quinquaginta Morabatinos : duæ aliæ de annis 1116. & 1119. afferunt Morabatinos de auro pensatos ; alia de anno 1176. Morabatinos auri legitimi pensi in aliis de annis 1126. 1130. & 1143. legitur Morabatinos de auro : In quadam vero facta Idus Novembris anno sexto Ludovici Junioris scilicet 1143. habetur, quod cum Raymundus de Sala commodasset Petro Gaufredo : Octo Morabatinos Marinos novos quos nobis in auro accomodastis impignoravit eidem Petro quandam vineam iu territorio Barcinonen. & infra repetit , octo Morabatinos Marinos in auro : ejusdem vero speciei videntur Morabatinos expressos in alia Charta de anno 1146. ibi: 53. Morabatinos bonos jovencios ( hoc est novos ) in auro. In pluribus autem Chartis de annis nempe 1126. 1153. 1155. 1158. 1162. 1165. 1166. 1168. 1170. & 1173. aliam legi speciem Morabatinorum nuncupatorum aiadini in auro ; quorum valor explicat quædam alia Charta facta 8. Kalend. Novembris anno 24. Ludovici Junioris , idest 1160. cum qua Agnes de Noguera & filii sui , quia debebant cuidam Joanni septuaginta novem solidos Denariorum bonæ monetæ , impignoravit certas terras & vineas in Parochia S. Stephani de Parie-

rietibus, promittendo, quod si dicta moneta cambiabitur de lege, & penso, convenimus vobis reddere Morabatinos aiadinos in auro sine engan, ad rationem sex solidorum & medii pro Morabatino pro vestro debito: & adhuc clarius, & cum incremento quatuor Denariorum, recitat altera Charta acta 8. Kalend. Februarii anno 34. ejusdem Regis scilicet 1171. nam Bernardus Bonfilius & uxor ejus Berengaria, quia debebant Petro de Bainaloca 120 fs. Denariorum bona moneta Barcinonen. & certas portiones frumenti & ordei, impignorarunt eidem Petro quoddam Molendinum in Parochia de Molleto cum pacto ibi: Et si jam dicta moneta cambiabitur de lege & penso, convenimus tibi & tuis reddere Morabatinos aiadinos in auro sine engan, ad rationem viij. solidorum, minus duos Denarios, pro Morabatino. Et nota quod tunc solidi talis erant valoris quod marcha argenti valebat 44 fs. ut dictum est supra num. 12. & alibi. Ab eo ferme tempore jam non inveni descriptos Morabatinos aiadinos, sed Alfonsinos auri fini & ponderis recti: ex quo desumitur Regem Alfonsum seu Ildephonsum I. Aragoniae Regem (qui in his Comitatibus regnare cepit anno 1163.) alias fecisse cudere Morabatinos optimos de quibus loquitur Marquilles infra fore Florenos.

37 De valore autem Morabatinorum in genere satis dictum est supra in Usatico adducto num. 23., & precipue in declaracione Regis Petri III. de anno 1351. supra nu. 25. ubi expresse habetur valere quatuor solidos monetæ de Terno: Attamen ibi loquitur de valore Morabatinorum de quibus in Usaticis fit mentio, non vero de aliis qui dicuntur Alfonsinis, quique in Chartis antiquis pro censibus pendendis exprimuntur Alfonsinis auri fini & ponderis recti nam isti in laudata declaracione excluduntur his verbis: *Per asso empero no entenem minuar, o creixer lo valor dels Morabatins Alfonsius, o qui per cens se fan, o qui encara per promissio, o en altre manera que en los casos en los dits Usatges expressats sien deguts; ans be en aquells la valor entrò sus ara observada; car lo valor dels Morabatins dels quals en los Usatges de Barcelona mencio es feta tant solament entenem declarar.*

Hunc

38 Hunc enim Alfonsinorum Morabatinorum pro censibus præstandis, valorem novem solidorum monetæ de Terno exprimunt ferè omnes Chartæ antiquæ; post dictam declarationem Regis Petri III. confectæ, supponentes sic fuisse declaratum per Dominum Regem: quam quidem declarationem hucusque invenire non valui, neque à nostris Scriptoribus citatam: (nisi referatur ad consuetudinem comprehensam illis verbis; *ans be en aquells lo valor entro sus ara observada: Nam eutro sus ara significat usque nunc.*) Imò Marquilles super Usatico Moneta fol. mihi 193. col. 3. ait: *ut erant Morabatini qui valebant sex solidos Jacenses, & novem Barcinonenses, vel Alfonsini, & nunc sunt Floreni; & istam monetum potest minuere Princeps &c.* Sicque Morabatini censuales jam ab antiquo fuere valoris novem solidorum: Alfonsini vero valoris unius Floreni; de quibus infra dicetur.

39 Sed clarius Thomas Mieres, qui cœpit scribere super Constitutionibus Curiarum Generalium Catholoniæ anno 1439. in Collatione 6. de moneta fol. mihi 373. loquendo de Constitutione Petri III. de anno 1351. & valore Morabatinorum num. 5. ait: *Et nota quod in valore censuum præstandorum servatur consuetudo, ut in hac Constitutione dicitur circa finem: & infra num. 7. Morabatinus verò, quem exigere consuevit Vicarius Gerundæ pro equis extra Patrium ducentis, solvit ad rationem tredecim solidorum, & quatuor Denariorum: & idem de Morabatino quem exigit Vicarius Episcopi Gerundenfis pro Decretis interponendis.* Similes 13 ss. 4. exigit Vicarius Generalis in Curia Ecclesiastica Barcinonensi pro minoribus Decretis. Etiam in Dioecesi Cælsonensi vidi expressum eundem valorem in Morabatino qui legatur Episcopo in testamentis Clericorum; quamvis in Dioecesi Barcinonensi Morabatinus, qui in ipsis testamentis legatur, solet exprimi valore novem solidorum, & hac Dioecesi pro novem solidis communiter æstimator quilibet Morabatinus in solutione censuum antiquorum; & propterea verum, quod ait Mieres supra citatus, servari debere consuetudinem locorum.

40 Ex desuper adductis documentis colligitur diversas fuisse species Morabatinorum monetæ auri, aiadinosque anno 1160. aestimari pro 6 fs. 6. anno 1171. pro 6 fs. 10. tunc monetæ bonæ ( scilicet Unetæ de qua marcha argenti valebat 44 fs. sicut quaternæ , non vero de Manencos expressa num. 10. de qua dicta marcha valebat 50 fs. , ideo dicitur bona ) cumque ex præfata moneta Uneta seu de Quaterno tres Denarii quatuor constituant monetæ de Terno ut dictum est supra n. 14. Ideo præfati 6 fs. 6. constituunt 8 fs. 8.; & 6. fs. 10. 9. fs. 1. Denar. cum tertio alterius monetæ de Terno currentis tempore declarationis Regis Petri III.

41 Colligitur etiam à vero non deviare supra adducta n. 10. quod anno 1137. Comes Barcinone cedere fecit minutos nuncupatos *Manencos* ex quibus marcha argenti valebat 50 fs. & propterea inferioris valoris ac Uneta. Inde existimo exordium sumptum fuisse in Chartis vel speciem monetæ , vel marchæ argenti valorem , exprimendi: prout frequenter conspicimus sæculo 13. in quo tanta fuit varia-  
tio monetæ minutæ , ut dictum est supra num. 10. & sequent.

### §. IX.

## DE FLORENTIIS.

42 EX infra adducendis monumentis colligitur Flo-  
renos aureos Aragoniæ similes fuisse Florenis  
aureis insignis Urbis Etruria in Italia adhuc Florentia nun-  
cupata : Sed lege & penso inferiores ; nam ut benè adver-  
tit Marquilles super Usatico 66. Moneta nota 4. & sequenti  
*Aurum Florenorum Aragoniæ non erant ad legem Florenorum de  
Florentia ; qui si ad hanc essent legem , 11. fs. & aliquid amplius  
monetæ de Terno valerent , & solummodo valere deberent 8 fs. 3.  
ejusdem monetæ ; de quo querelebatur ipse Scriptor, eo quia  
ut ait , Aurum nostrorum Florenorum , cum deberet esse 24. qui-  
ratorum seu graduum vel saltum 23. , solummodo erat 18. : & sic  
quarta pars vel circa erat medietas argenti , & alia cupri seu  
& ris : ut nota 6. & 9. late describit : & nota 10. circa eorum  
pen-*

pensum hæc habet: Quod de una Marcha de la sequa exeunt  
 sive sortexen sexaginta septem libras octo solidos Barchinonens.  
 de Terno; & hæc vera prout à Monetariis Barchinonens. habui;  
 quod mente tene. Sicque ad dictam rationem quislibet Flo-  
 renus valebat undecim solidos. Ex quodam antiquo ma-  
 nuscripto tractante de moneta , licet anonimo didici,  
 confirmatumque vidi in libro Decretalium Gregorii, Pe-  
 trum I. Aragoniæ Regem cudere fecisse Florenos simi-  
 les Florenis de Florentia , quibus tribuere ordinavit eun-  
 dem valorem 11 ss. sed cum florentini essent auri 23. gra-  
 duum, sive quirats cum tribus quartis quirati ; illi vero 18.  
 dumtaxat , & adhuc deficiebant in pondere unius grani , &  
 defuncto Rege , Magnates qui magnam copiam hujusmodi  
 legerant Florenorum curassent , quod Successor Jacobus I.  
 jure jurando promitteret non minuere illorum valorem;  
 Rex penitens facti petiit ab Innocentio Papa III. absolutio-  
 nem Juramenti : à quo emanavit Decretalis illa : *Quanto*  
*personam tuam : 18. tit. de Jurejurando in qua Pontifex* re-  
*spondit , quod si tempore Juramenti credebat monetam es-  
 se falsam , juramentum erat illicitum , & consequenter non*  
*vinculum iniquitatis : si vero probam , tenebatur implere*  
*juramentum ; eique consuluit , ut si falsa , aliam probam*  
*sub nomine Patris cudere faceret. Sed hoc consilium vi-*  
*detur caruisse effectu : nam tempore Jacobi Marquilles,*  
*scilicet 1448. adhuc similes currebant Floreni ut superius*  
*est dictum : & etiam indicatum num. 18. circa finem.*

43 Refert quidem Thomas Mieres Collatione 6. de  
 moneta, fol. mihi 373. quod die 3. vel 4. Januarii 1454. de  
 mandato Locumtenentis Domini Regis, fuit preconizatum  
 edictum Domini Regis , quo inter alia fuit ordinatum,  
 ibi : *Quod Florenus auri Aragoniæ qui antea currebat ad 11 ss.*  
*amodò sit billonus , & non habeat certum valorem in Cathalo-*  
*nia. Postea Florenus auri fuit afforatus ad 13 ss. Barchinonens-*  
*ses ; & est verum quod anno 1468. Florenus Aragonum currit de-*  
*facto ad rationem 15 ss. Quod indicat melioratam fuisse qua-*  
*litatem Florenorum Aragoniæ. P.M. Ribera Ordinis B. Ma-*  
*riæ de Mercede , qui aliquando fuit Archivi Regii Rector*

in prima Centuria Mercenaria circa finem reflex. 14. n. 94. testatur se obseruisse in Regiis Regestis ibidem citatis, quod anno 1285. Florenus valebat 10 fs. 6.: anno 1309. 15 fs. 4. (puto legendum 13 fs. 4., & fore Florenos de Florentiâ) anno 1318. viginti millia Floreni auri erant valoris undecim millia librarum concluditque ipsos Florenos valere 11 fs. ad differentiam Florenorum nuncupatorum *in auro*, citatque fol. 63. Regii Regesti Curiæ 4. Regis Joannis II. ab anno 1460. ad 1464. fol. 63. Etenim existimo ipsum Scriptorem pro Florenis *in auro*, (quorum valor tacet,) dicere voluisse Florenos de Florentia, qui anno 1366. erant valoris 13 fs. 8. monetæ de Terno, prout exprimitur in quodam Processu Visitationis de ipso anno in quo fol. 9. legitur: *fuerunt recepti 66 fs. valente Floreno de Florentia undecim solidos, & octo Denarios: juxta Constitutionem Benedicti &c.* Tandem observavi quod in Chartis Venditionum raro exprimebantur pro pretio Floreni, sicuti antiquitus Mancussi & deinde Morabatini; existimo quia valor illis tributum non respondebat cum moneta de Terno.

## §. X.

*DE MACEMOTINIS ALIAS MARMOTINIS.*

**44** A Lia erat moneta minus usitata in Chartis, à Marquilles vncata *Macemotina*, de qua agit in Usatico Sarracenis circa finem fol. mihi 320. col. 2. his verbis: *Nota quod nos habemus Mancussum auri, & Macemotinam auri: Mancussum nempe valet 16. Denarios Barcinonen. ut in Constitutione 36. cum de valore Curiæ Perpiniani Domini Regis Petri III. Macemotina autem valet sex solidos Barcinonen. prout reperi in quodam Instrumento venditionis &c.* Quod ibidem refert de quadam petia terræ in Monte Judaico de anno 1411. quæ tenebatur per Camerarium Monasterii S. Salvatoris de Breda ad censum unius Macemotinæ: & sub Usatico *Solidus aureus* ait. *Nota quod alia moneta est, quæ vocatur Macemotina quæ valet sex solidos Barcino.* Andreas Bosch: *Titols de honor de Cathalunya* lib. 4. cap. 27. pag. 490. sic aits

Maymodins de Or valian dos reals Castellans y dos diners Valencians dits per altre nom Maymodines Josepines : laudat Beuther lib. 2. cap. 20. lib. veg. fol. 10. 132. & 139. P. Mariannus Ribera Centuria 1. reflex. 14. num. 102. & 107. vocat hanc monetam Masmutinas ex Regesto Alfonsi II. Albaranorum, & Curiæ Archivi Regii de annis 1286. ad 1288. Verum Dominicus Macri in Hierolexicone vocat hanc monetam Marmotinus , aiens , Monetæ species Floreno minor : affertque textum ex Alberto in Chron. ibi : Annuatim debent presentare ad Cameram Papæ unum Marmotinum , qui bene noscitur à Curia , & est minoris valoris quam Florenus de Florentia. Existimo tandem hanc monetam etiam vocari Mayrinus seu Mayrinum: quam monetam vidi injunctam pro pena iis qui in certo incidenter defectu , in Regesto Gratiarum Curiæ Vicariatus de anno 1388. 22. Februarii : legitur enim pena duorum Mayrinorum : unius Mayrini.

§. XI.

DE CRUCESIGNATIS VULGO CROATS SEU REALS  
de Plata.

45 Quid & quanti ponderis , ac valoris essent Crucesignati seu Cruciatи vulgo Croats modo Reals de Plata , iatis videtur expressum ex adducitis supra num. 18. fuisseque Argenteos designatos supra num. 25. & 26. seu solidos argenti expressos num. 30. verum eorum qualitas , & pondus declaratur in Sanctione Regis Petri II. Dat. Barcino 4. Kalend. Julii 1282. exscripta in volum. Constitut. Cathaloniæ lib. 10. de les Pregmatiques ; ubi Rex sic statuit: La moneda de argent se ha de fer en Barcelona , è no en altra Part ; è de quiscun march de argent bo è si nos poden fer sino ( hic deficit numerus septuagenarius ) dos Croats ab lo senyal de la moneda de Barcelona de Tern , à ley de onze diners è malla de la dita moneda : E la Ciutat de Barcelona elegeix dos bons homens , als quals lo Senyor Rey comana la guarda de ditta moneda , è que aquella fassen fer llealment : E lo Senyor Rey

punirà &c. Quod in præfata Sanctione deficiat numerale Septuaginta sit evidens; quia nedum inverisimile, sed etiam impossibile videtur confici, & currere posse monetam tam magnam, & gravem, ponderis scilicet quatuor unciarum: procedit enim defectus ex mala correctione impressionis: Non enim tempore, quo scribebat Marquilles ita legebatur, & deducitur ex particulis adductis supra num. 18. ubi sub nota 3. expresse habet quod ex qualibet Marcha argenti fortiri debebant 72. Crucesignati, hosque esse ponderis trium Denariorum de Terno, atque in rigore, valoris duodecim Denariorum, seu unius solidi, prout antiquitus habuere; verum propter adulterationem Florenorum, tunc valere quindecim Denarios; eosque nuncupari Regalia, quod bis repetit sub eadem nota; & propterea regalia argenti, ( vulgo Reals de Plata, seu Ralets ) quæ, cum Crucis impressione, nostris temporibus currere vidimus, & adhuc aliqua currunt, ( licet vel circuncisa, vel pondere, vel lege imminuta) valentia tres solidos monetæ currentis; esse eamdem monetam argenteam, quæ ob crucis impressionem antiquitus nuncupabatur Croat, seu Crueiatus, vel Crucesignatus juxta Mierez.

46 Sed Quæres: si anno 1449. Crucesignati solummodo valebant quindecim Denarios monetæ Barcinon. de Terno, quomodo saeculo præterito exeunte, & præsenti, valent triginta sex Denarios, seu tres solidos? Ad quod respondendum censeo, quod cum moneta de Terno paulatim pondere, & lege decrevisset, prout ostensum est supra à num. 20., ad 23.; & Crucesignati non tam facile, pondus, & legem stabilitam mutare possent, quia in qualibet bessè argenti solummodo septuaginta duo Cruciatæ fortiri possent juxta dictam Sanctionem Regis Petri II. necessariò Crueiatus quislibet majorem numerum Denariorum valere debuit; sicque paulatim succidente tempore incrementum valoris suscepere: Etenim Thomas Mierez, qui super Constitutionibus Cathaloniae cœpit scribere anno 1439. ( ut ipse refert in Prologo ) & adhuc scribebat anno 1454. præmissa confirmat; nam in collatione 6. sub

Curiis Perpiniani celebratis per Regem Petrum III. cap. de moneta fol. mihi 373. augmentum valoris Crucesignatorum ad octodecim Denarios tradit his verbis : *Nota quod die tertia, vel quarta Januarii anno à Nativitate Domini 1454. in Barcinona fuit de mandato Incliti Domini Galcerandi de Requesens, locum tenentis Serenissimi Domini Regis, publicata, & facta præconizatio edicti, & ipsius Domini Regis, quod de cætero in solutionibus faciendis, Cruciatii, sive Denarii argenti reciperenetur ad rationem octodecim Denariorum minutorum de Terno reducendo ad usum antiquum ; revocata ordinatione olim facta, ut solum valeret quindecim Denarios minutos : & nota quod verba illa : Reducendo ad usum antiquum innuunt, ut conjicio, quod anno 1408. pro faciendis certis solutionibus, auctus fuit valor Cruciatorum ad septendecim Denarios, & anno 1425. reductus ad quindecim, prout legi in quodam manuscripto antiquo, in quo etiam refertur, quod olim ipsi Cruciatii erant valoris tantummodo duodecim Denariorum, ut etiam supponit supra laudatus Marquilles loco citato supra num. 18.*

- 47 Attamen quando fuerit auctus valor Crucesignatorum ad tres solidos de Terno, adhuc invenire non valui; existimo tamen fuisse post alterationem monetæ anno 1640. & sequentibus, ut dictum est supra num. 22. Nam ex quodam computo originali ingressus pecuniae de anno 1634. plenè observavi, quod unum Regale de octo ( vulgo Pessa de vuyt ) valebat sexdecim solidos monetæ Barcinon. & unum Regale de duobus ( vulgo Pessa de dos ) quatuor solidos. Si ergo Regalia argenti de octo, quæ superiori facultate exeunte valebant 1<sup>ij</sup> 8 fs., & modo valent triginta septem solidos cum dimidio, anno 1634. valebant dumtaxat sexdecim solidos, ut ex dictis Textibus patet, & proinde in duplo, & ultra crevit valor argenti respectu monetæ eupreæ; quid mirum, si Crucesignati, seu nostra Regalia argenti duplicato valore excreverint? Ex quo etiam videtur inferri quod anno 1634. moneta de Terno adhuc erat melioris conditionis, seu qualitatis, quam post annum 1640.; eo quia, attenta lege, & pondere Crucesignatorum, quis-

quislibet continebat octavam partem unius Regalis de octo parum plus, minusve; & propterea necessariò valebat duos solidos, vel circa, dictæ monetæ de Terno; hujus verò minorato intrinseco valore post annum 1640. auctus fuit valor Crucesignatorum ad tres solidos, prout nostris temporibus valent, & adhuc si existentes forent pondere, & lege, ut antiqui, quatuor solidos, & ultra nunc valere deberent: Et hæc est propria moneta argentea Barcinonensis.

## §. XII.

## DE ALIIS MONETIS ANTIQUIS.

**D**e aliis etiam monetis, quæ in his partibus fuerunt aliquando receptæ breviter meminit Dr. Andreas Bosch (*Titols de honor de Cathalunya*) lib. 4. cap. 27. pag. 490. de quibus tamquam non usitatis in Chartis opus non est differēre; sed tantum notandum, quod equiparat monetam argenteam Turonensem cum Barcinonensi; & in hoc videtur consentire P. M. Ribera in prima Centuria Religionis Beatæ Mariæ de Mercede circa finem, reflexione 14. num. 97. pag. 630. qui observavit in Regio Archivo (quod apprimè revolverat) Turonensem argenteum anno 1303. valere 15. Denarios monetæ Barcinonensis, citat Regium Regestrum I. Gratiarum Jacobi II. de anno 1308. ad 1311. & fol. 71. Almariæ de anno 1309.; & propterea videtur, quod Turonensis argenteus erat ejusdem valoris, ac Crucesignatus vulgo *Croat*: (vide quæ dicentur cap. sequent. §. 1.) Etiam laudatus P. M. Ribera loco citato num. 45. notavit valorem Duplæ auri, quæ, scilicet *Dupla auri miriae Castellæ* anno 1286. erat valoris 14 fs. anno 1294.; 10 fs. Jacentium, (quorum ut supponit Marquilles loco supra citato num. 32. sex solidi valebant novem ex Barchinonensibus & propterea 15 fs.) anno 1309. erat valoris 19 fs. 6., quodque eodem anno factum fuit præconium ut Dupla auri reciperetur ad rationem virginis

ti solidorum Barcinonensium de Terno , ut legi afferit in Regio Regesto Gratiarum I. Regis Jacobi II. de eodem anno , quodque eundem valorem adhuc habebat anno 1321. & tandem monet , quod si quis intelligere velit valorem diversarum monetarum , legat fol. 17. Regii Regesti Almariæ de anno 1309. ; fol. 150. Regii Regesti Petri II. de annis 1284. & 1285. , & sub data 8. Idus Junii 1330. Regii Regesti Thesaurarii Regis Alphonsi de anno 1328. & sequen. , ad quæ Ego etiam Lectorem remitto : solummodo addens , me expressum vidisse in quodam processu informationis Curiæ Vicariatus Ecclesiast. Barcinon. de anno 1483. ; quod tunc Dupleæ Castellanæ valebant triginta solidos monetæ Barcinonensis.

§. XIII.

COMPARATUR VALOR MONETÆ BARCINONENSIS  
cum antiquo valore Cibariorum , seu Annonæ.

49 **S**upponendum est , antiquis temporibus , quia erat metallorum carifia ipsa metalla majori gaudabant æstimatione , paucaque cudebatur moneta : paulatim tamen , precipue post Indiarum inventionem , magis abundarunt metalla , & etiam moneta ; & propterea crevit etiam valor Annonæ , & Cibariorum ad vitæ sustentationem necessariorum ; etenim Annona est meta ad dignoscendum æstimationem monetæ ; quamvis abundantia , seu carifia , eam multoties variare faciat . Hinc est quod seculo decimo tertio , & decimo quarto fundabantur quam plurima Beneficia perpetua , onere injuncto obtentori celebrandi Missam quotidie , & omnibus horis Canonicis Diurnis , & Nocturnis interessandi , ( quin tunc essent aliquæ distributiones ; nisi in funeribus , & Anniversariis ; ) & solummodo consignabant pro sustentatione vitæ Sacerdotis decem , vel duodecim , & ad sumnum quindecim libræ monetæ Barcinon. ; quibus tantum Annonæ emi poterat , quantum his temporibus ex centum quinquaginta vel du-

cen-

centis libris ejusdem monetæ comparari; quæ ne liberè dicta censeantur aliquos dumtaxat adducam testes.

50 Etenim in Constitutionibus Pacis, & Treugæ Regis Jacobi I. de anno 1234. exscriptis in Appendix Marcæ His-panicæ tit. 513. decernitur pretium altius granorum his verbis: *Apud Ilerdam & in locis Cathaloniæ ubi currit moneta Jaccensis vendatur Caficum Ilerdaæ frumenti ad pretium 25 fs., & Caficum hordei 20 fs., & in aliis locis, ubi sunt diversæ mensuræ, vendatur mensura illa secundum quantitatem Caficii Ilerdaæ in Catalonia: Ubi currit Barcinonensis moneta vendatur quarteria Barcinonensis de frumento ad plus decem solidos, & quarteria hordei 7 fs. & de Cibaria 4 fs., quarteria filiginis 8 fs. &c. & notandum quod tunc currebat moneta de Duplo, seu Dupleto ut dictum est supra num. 10. quæ erat in tertia parte minoris valoris, quam de Terno, ut supra num. 14. & propterea maximum pretium quarteriæ frumenti cum moneta de Terno fuit 6 fs. 8. hordei 4 fs. 8. Cibariæ 2 fs. 8. & filiginis 5 fs. 4.*

51 Quoddam vidi manuscriptum antiquum in quo refertur, quod anno 1261. fuerunt publicatae Ordinationes taxando altius pretium Carnium, & Volatilium sub his verbis: *Primerament lo Corder dels millors Moltons ( scilicet quarta pars unius ex melioribus arietibus ) sie venut en ditta Ciutat ( scilicet Barcino ) à 1 fs. 6. : Lo Corder dels Caminals 1 fs. 3. La Carn, ( idest tota ) del millor Cabrit 1 fs. 6. : Lo Corder del millor Cabrit fs. 4. E lo Cap, y Coradella del millor Cabrit fs. 4. E lo parell dels millors Capons 1 fs. 8. E lo parell de les millors Gallines 1 fs. 4. E lo parell de les Perdies fs. 8. E lo parell dels Tudons fs. 8. E lo parell de les Xixelles fs. 4. E lo parell de les Tortes fs. 4. E la Carn ( scilicet tota ) de la Lebre fs. 9. E la Carn del Conil fs. 9. Et nota, quod dicto anno 1261. jam currebat moneta de Terno, ut superius est dictum.*

52 In testamento Guillermi de Caneto Rectoris Ecclesie S. Jacobi Barcinonen. condito penes Petrum Aprilis 6. Idus Junii 1307. ordinantur fieri, & celebrari in dicta Ecclesia duodecim Anniversaria quinque Sacerdotum ibi;

*Qui*

Qui celebrent, & rogent Deum pro anima mea in dicta Ecclesia,  
 & qui cum celebraverint exeant cum luminaribus supra tumulum meum, & absolvant ipsum; & volo, & mando, quod dentur unicuique dictorum Presbyterorum cum celebraverint, & absolverint tumulum meum in unoquoque dictorum Anniversariorum per Rectorem dicti Altaris Sanctæ Margaritæ, & de redditibus ejusdem Altaris tres Denarios prædictæ monetæ Barcino-nen. Ex qua eleemosyna infertur solum tres Denarios sufficere pro Sacerdotis sustentatione; pro quo quidem onere adimplendo legavit Rectori dicti Altaris octo quarterios Olei mensuræ Calidarum de Montebovino; qui quidem quarterii dictæ mensuræ, sunt duo Cortani mensuræ Barcino-nensis, ut est notorium.

53 Et nota, quod Obtentor Beneficii Corporis Christi anno 1337. in Ecclesia dictæ Villæ Calidarum fundati, recipit annuatim à quibusdam Censualistis pro uno quarterio & medio, sive tribus Cortanis Olei 2 ss. 6. & pro duobus quarteriis & medio, sive quinque Cortanis, quinque solidos; quia ab antiquissimo tempore in quo ad hoc pretium vendebatur Oleum, cuperunt sic solvi, & ita continuatum fuit; prout in processu visitationis de anno 1737. est videre; & nil mirum, quia in nonnullis illius seculi Beneficiorum foundationibus legi, assignatos novem solidos annuales, pro ardenda continuò una lampade.

54 At post viginti annos jam opus erant quinque Denarii pro sustentatione diaria Sacerdotis: nam cum nonnulli Beneficiati Ecclesiæ Parochialis Beatæ Mariæ de Mari, suo Beneficio per Sacerdotem Conductitum diservire facerent, eique sex libras annuales dumtaxat tribuerent: Pontius Episcopus Barcino-nen. considerans, quod pro dia-ria sustentatione Presbyteri Conductiti, qui celebrare, & interesse horis Canonis tenebatur, opus erant novem libræ, sive sex Denarii diarii; decrevit, Idus Februarii anno Incarnationis Dominicæ 1329. à Nativitate vero 1330. dari debere cuilibet ex dictis Conductitiis, novem libræ annuales; quod decretum paulò post moderavit ad 7<sup>ij</sup> 10 ss. sive quinque Denarios qualibet die, ut videre liquet in

Regesto Communi Curiæ Vicariatus de eo anno fol. 236. Anno vero 1341. statutum fuit per Episcopum, quod nullus conduceretur ad deservienda Beneficia quin assignarentur pro mercede novem librae monetæ Barcinonæ. hoc est 6. Denarios pro die : ut in Regesto Communi dictæ Curiæ fol. 175. : quod etiam confirmatum fuit anno 1344. ut in pari Regesto fol. 174. Etenim anno 1353. eleemosyna Missæ jam erat sex Denariorum, & sic taxata fuit in quodam Decreto existenti in Regesto Communi dictæ Curiæ fol. 45.

55 Extat in Regesto octavo Collationem dictæ Curiæ fol. 190. quoddam Decretum approbationis seu confirmationis Beneficii Sanctæ Eulalizæ in Ecclesia Parochiali Beatae Mariæ Villæ Franchæ Peniten. Diœcesi. Barcinonæ. factum tertio Kalend. Januarii anno Incarnationis Dominicæ 1346. à Nativitate 1347. in quo exprimitur, quod cum Guillelmus Dalmatii quondam institui mandasset dictum Beneficium, & dotari ex decem libris annualibus, Vicarius Generalis volens se certiorari de dotatione dicti Beneficii, & an haberet consignatas dictas decem libras, scripsit ad Decanum seu Officialem Penitensem pro informatione; quiquidem Decanus rescripsit, quod redditus assignati bene ascendebant ad undecim libras, & inter alia exprimit habere consignatas: *Otto quarterias censuales frumenti, quarum quælibet aestimatur in hac terra, uno anno cum alio computato, ad 10 fs. : Item in novem quarterias ordei censuales, quarum quælibet aestimatur in hac terra uno anno cum alio computato ad 5 fs. Item duos quartanos Olei quorum quislibet ad mensuram Villæ Franchæ, quæ est magna (fortè erat quarta quartæ unius muli oneris sicuti in Villa Calidarum) potest extimari ad tres solidos cum dimidio. Vide superius dicta de pretio antiquo Olei num. 53.* Quoddam etiam vidi instrumentum emptionis granorum in Regesto Communi ejusdem Curiæ sub 6. Aprilis 1346. ex quo patet pretium quarteria Frumenti esse 10 fs. Mestalli 8 fs. Ordei 6 fs. cum dimidio; Millii & Panis 6 fs. 6. Annonæ seu Avenæ 4 fs. & adhuc pretium erat solvendum post quatuor menses. Vide Regest. Com. Curiæ fol. 48. Anno vero 1365. pretium Ordei

dei quarteria erat 7 ss. 3. ut videre liquet in Regesto Com-  
muni de eo anno fol. 147.

56 Non longè post jam suscipiebat incrementum An-  
nona; nam in institutione Beneficii primi Ss. Thomæ Apo-  
stoli, & Antonii de Padua in Claustris Sedis Barcinonensis  
anno 1353. fundati, cum onere celebrandi, & interessendi  
horis Canonicis; circa dotationem, & emptionem quin-  
decim librarum monetæ de Terno in alodio, adjicitur: quas  
( scilicet 15  $\frac{1}{2}$  ss.) quislibet Instituens Præsbyteratum in dicta  
Sede juxta Ordinationem Honorabilis Capituli dictæ Sedis emere  
tenetur pro sustentatione vita Præsbyteri, seu Beneficiati ipsius  
Præsbyteratus; & etiam ad emendum tres libras dictæ monetæ,  
quas juxta dictam Ordinationem, quislibet Instituens in dicta Se-  
de emere tenetur in alodio pro Anniversariis faciendis quolibet  
anno in dicta Sede; prout actum fuit in dotatione dicti Be-  
neficii. Similia leguntur verba in Fundatione Beneficii Ter-  
tii S. Francisci in iisdem Claustris de anno 1355. & alibi.

57 Anno verò 1389. jam non sufficiebant 15  $\frac{1}{2}$  ss. ut confi-  
tat in Regesto 11. Gratiarum Curiæ Vicariatus fol. 167.  
nam die 17. Februarii ejusdem anni, concessa fuit licentia  
Petro de Podio Beneficiato Ecclesiæ Domus Sanctæ Annæ  
Barcinon., ut posset deservire mediae Capellaniæ in Sede ex  
eo quod fructus & redditus dicti Beneficii sint ita rari & te-  
nues, & exiles, quod ex ipsis vitam vestram sustentare non potes-  
tis prout Præsbyterorum congruit honestati, cùm non excedant  
summam 15  $\frac{1}{2}$  ss. Barcinonen.

58 Anno verò 1413. alimonia unius diei pro uno Sa-  
cerdote jam creverat seu æstimabatur ad duodecim Denar-  
ios, ut testatur Sententia Patriarchæ Francisci Sapera, Ad-  
ministratoris perpetui Ecclesiæ Barcinon. de eo anno;  
in qua, ordinando Ecclesiam Parochiale Beatæ Mariæ de  
Mari Civitatis Barcinon. postquam statuit, quod Archidia-  
conus habeat providere Vicarium perpetuum, & Hebdo-  
madarios in cibo, & potu decenter, addidit: Et si dictus Vi-  
carius non contentetur de cibo & potu ibidem sibi dandis, det  
sibi præsenti dictus Archidiaconus duodecim Denarios pro qual-  
bet die.

59 Plura alia monumenta ad propositum afferre possem, quæ brevitatis gratia omitto: sufficient autem prædicta ad ostendendum quanti fuerit valor antiquus Annæ, & quomodo paulatim creverit ad hæc usque nostra tempora.

## C A P U T   X X X I X.

**E X P R I M I T U R   B R E V I T E R   V A L O R   M O N E T Æ   R O M A N Æ**  
*antiquæ, & modernæ, de qua in Litteris Apostolicis fit mentio & equiparatur cum Barcinonensi, & Hispanica.*

## §. I.

## D E M O N E T Æ   A N T I Q U Æ   R O M A N Æ   V A L O R E.

**S**uppositum est cap. præcedent. num. 2. Marcham argenti fore metam valoris omnium monetarum; & quidem; quia nunquam ejus Pondus fuit variatum; frequenter enim legimus in Litteris Apostolicis tum antiquis, tum modernis, Ducatos auri Cameræ, Julios, Florenos, & etiam precipue, quando Summi Pontifices Sedem fixerant Avinione, libras Turonenses parvorum designasse; quarum monetarum antiquum valorem ex libris Reverendæ Cameræ Apostolicæ sumptum, & cum monetis diversarum Regionum comparatum didici, ex Appendice libri titulati: *Practica Cancellariæ Apostolicæ cum stylo & forma in Romana Curia usitatis, excerpta ex memorabilibus D. Hieronymi Pauli Barcinonensis Litterarum Apostolicarum Vicecorrectoris: Typis dati Lugduni anno 1546.*; cui operi adjicitur: *Provinciale omnium Ecclesiastarum Cathedralium Universi Orbis cum cuiusque Regionis monetæ nomenclatura, ac valore, nuper ex libro Cancellariæ Apostolicæ excerptum.* Hanc enim nomenclaturam, & valorem visum fuit in medium afferre prout ibi jacet; quia ex ipsis quamplurima inferri valent. Et nota annum editionis.

*Libra Turonensium parvorum valet Ducatum unum auri de Camera.*

*Libra Turonensis monetæ in Francia, tres libræ faciunt Ducatos duos.*

*Libra Majoricen: tres libræ faciunt duos Ducatos.*

*Libra Barchinonen. Jaccen. Valentin. quælibet libra Ducatum unum.*

*Libra monetæ Normandiæ; tres libræ valent duo Scuta non antiqua.*

*Libra monetæ Britanniae; valet minus uno Duc. quia decem libræ valent Ducatos octo.*

*Libra Parisien; valet modicum minus libræ Britanniae, & modicum plus monetæ Franciæ.*

*Libra monetæ Sterlingorum in Scotia; valet Ducatos duos cum dimidio.*

*Libra monetæ usualis in Scotia, valet Ducatum unum auri; & tres libræ similes valent tres Ducatos, qui faciunt unam libram Sterlingorum. Et tunc componuntur libr. Sterlingor. ex compositione antiqua ad Ducatos duos cum dimidio. Revera ut intellexi valet Ducatos tres.*

*Libra Sterlingorum in Anglia valet Ducatos sex; tamen ad Ducatos quatuor.*

*Libra monetæ Meten. valet Ducatum unum auri.*

*Libra monetæ Flandriæ, valet Ducatos tres.*

*Francus in Francia, tres Franchi faciunt Ducatos duos.*

*Floreni tres auri de Aragonia, valent Ducatos duos.*

*Florenus Rhenen. auri valet grossos Papales octo, & computantur in Camera Apostolica quatuor Floreni pro tribus Ducatis.*

*Florenus Sabaudiæ valeat Baiocos duos (legendum ex dicendis triginta duos) duo Floreni cum dimidio, & unus grossus Sabaudiæ facit Ducatum unum.*

*Floreni septem Rhenen. ad rationem 40. grossorum monetæ Flandriæ pro quolibet faciunt Ducatos quatuor.*

*Floreni tres Navarræ, valent ducatum unum auri.*

*Floreni tres monetæ Provinciæ faciunt Ducatum unum.*

*Marcha Sterlingorum in Anglia, valet Ducatos quatuor.*

*Marcha Sterlingorum in Ibernia, valet Ducatos duos cum dimidio.*

*Marcha argenti valet Ducatos quinque auri de Camera.*

*Marcha argenti puri valet Ducatos sex similes.*

*Marabatini (intellige Maravedini seu Maravedisses) in Hispania 400. faciunt Ducatum unum auri, tamen solet augeri, & minui pretium. Mille Marabatini valent Ducatos duos. Cum quartis 3. alterius Ducati.*

*Scutum antiquum Francie valet Ducatum unum.*

*Scutum novum auri Francie valet Ducatum unum minus uno grosso, Papali, & sic computantur in Camera Apostolica.*

*Salutrin. valet Ducatum unum auri.*

*Uncia valet Ducatos sex auri.*

*Florenus Carolen. valet medium Ducatum.*

*Florenus Brabantiae valet medium Ducatum.*

Similis valor Ducatis auri de Camera assignatur in libro titulato *Formularium Instrumentorum*, &c. Typis dato Romæ anno 1589. pag. mihi 384. sub titulo: *Cursus monetarum secundum stylum Cameræ, & Cancellarie Apostolicæ*; qui licet non omnia capita desuper adducta contineat, etamen quæ habet cum præmissis concordant: Addit tamen postquam dicit: *Turonenses tres, in Francia, valere Ducatos duos: Hodie tamen servatur contrarium, ita quod due librae hujusmodi valeant ducatum unum. Unciam verò ait valere Ducatos tres, & Florenos in Sabaudia valere Baiocos 32.: & propterea in superiori textu deficit numerus tricenarius; nec aliàs duo Floreni cum dimidio, & unus grossus Sabaudiae unum possent constituere Ducatum.*

Et nota, marcham argenti puri valere sex, non puri quinque Ducatos auri de Camera: & intellige pro argento impuro habenti solummodo decem ex duodecim gradibus legis, ut proportio sonat valoris.

## §. II.

DE HODIERNO VALORE MONETÆ ROMANÆ  
comparatæ cum Barcinonensi, ac etiam His-  
panicæ.

**S**Uponendum est monetam Romanam his temporibus denominari cum Ducatis auri de Camera, Scutis auri, Scutis monetæ five argenti, Juliis seu Paulis, grossis, & Obolis, five Baiochis: Ducatos verò auri de Camera continere in se seu æstimari in septemdecim, Scuta auri sexdecim, (nisi aliud exprimatur) Scuta monetæ seu argenti decem Julios, five Paulos, qui in decem Baiocos seu Obolos dividuntur: Grossus verò est Semijulius.


Stabilito enim quodd quislibet Julius, five Paulus æstimatur, ac idem est quam Regale argenteum antiquum Hispanticum, valens in moneta Barcinonensi tres solidos cum dimidio, & in moneta Cuprea Hispanica sexaginta quatuor Maravedinos, prout ita reducuntur, & solvuntur ut exploratum habeo; facile reducitur seu æquiparatur moneta Romana cum Barcinonensi, & Hispanica; nam sequitur, Ducatum auri de Camera valere in moneta Barcinonensi 2*ff.* 19 ss. 6., & in Hispanica Regalia 3*z.* seu 1088. Maravedinos. Quodlibet Scutum auri valere in Barcinonensi moneta 2*ff.* 16 ss. & in Hispanica Regalia 30. cum quatuor Maravedinis, seu 1024. Maravedinos: Scutum verò monetæ seu argenti valere in moneta Barcinonensi 1*ff.* 15 ss. & in Hispanica Regalia 18. cum Maravedinis 2*z.* seu Maravedinos 640.: Boiochum denique five Obolum valere quatuor Denarios cum quinta alterius parte monetæ Barcinon., & Hispanticæ Maravedinos sex cum duabus quintis partibus alterius.

Ex dictis patet proportio incrementi valoris Du-  
catorum auri de Camera cum valore monetæ Barcinonensi: Nam apud nos hodierno tempore Marcha argenti puri, seu quasi, valet libras sexdecim; ex quibus componun-  
tur

tur quinque Ducati auri de Camera cum fere dimidio: Quem quidem valorem initio sœculi decimi sexti, habebat Marcha argenti, scilicet impuri quinque, puri quidem sex, ut habetur in textu adducto §. præcedenti. Sicque Ducati auri de Camera, ut moneta immaginaria, incrementum suscipiunt juxta crementum valoris currentis Marchæ argenti, quæ est meta valoris singularum monetarum, ut dictum est supra.

# FINIS.

**Soli Deo honor, & gloria in secula seculorum, Amen.**



Ma  
Dis  
Ch

B  
St  
S  
P

